DE FRVCTV,

ET APPLICATIONE

SACRIFICII

MISSAE



ET

SVFFRAGIORVM.

Libri Tres.

Quorum primus agit de fructu, & applicatione sacrificij Missæ generaliter. Secundus, de fructu & applicatione Suffragiorum. Tertius de fructu Sacrificij, & suffragiorum respectu defunctorum.

AVCTORE,
V. P. F. ANTONIO RVTEO *Hanno-montensi, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula S. Theologiæ Lectore.*

S. Andrea  della Valle

ANTVERPIÆ,
Apud HENRICVM AERSSENS,
M. DC. XXXIV.
Cum Gratiâ & Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO

VANDER BVRCH

ARCHIEPISCOPO

ET DVCI CAMERACENSI

S. Rom. Imp. Principi,

COMITI CAMERACESII &c.



Agna fuit prioribus sæculis, *Illust.*^mo^ ac *Reu.*^me^ *Domine*, fidelium in incruenti Missæ sacrificij frequentia feruor & pietas, quâ tantum diuini in nos amoris indicium in hoc sacrificio demirati, omni animi deuotione, illius assistentiam, & frequentiam inhiabant. Verùm refrigescente in dies charitate, non iam beneficiorum præstitorum memoria,

ſed propriæ vtilitatis amor fideles exagitare cœpit; hinc demum Eccceſia vberrimos diuini huius ſacrificij fructus, maiori conatu & doctrinâ mundo expoſuit; vt quos ſola tantæ in nos munificentiæ præſtantia, ad illius frequentiam non excitat, copioſi ſaltem fructus velut ex diuino horto, ac paradiſo oriundi animarent: ſunt enim adeo vberes huius ſacrificij fructus, vt de illo dicere liceat, quod *Daniel. 4. Fructus eius nimius*, quippe qui ita in omnes aliundè diſtribuatur, vt non modò ſacerdotes, ſed & Miniſtrantes, Aſſiſtentes, Procurantes, omnis denique Eccleſia, non ſolùm in viâ militans, ſed & in intimis Purgatorij penetralibus patiens, ex eo participent; in tantùm vt fidelium nemo ſit, qui à fructu eius ſe immunem dicere audeat; nemo, inquam, qui ſe abſcondat à fructu eius; & ſi fructum hunc per geminum orbem tam affatim exuberantem miraris, Chriſtum Dominum ſingulis illum diſtribuentem intuere,
Oſea 10. nam *Fructus adæquatus eſt ei, & ſecundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria.*
Ezechiel. 45 Nec vnquam *deficiet fructus eius, quia aquæ eius de ſanctuario egredientur.* Cedat igitur amodò pomum

pomum illud aureum Paridis, tot dissidiorum incentiuum: cedant mala aurea quæ draco custos peruigil in hortis sororum Hesperidum obseruabat: cedant, inquam, fructus varij quibus Nayades Cornu illud sacratum ditarunt; longè enim vberiorem fructum in hoc sacrificio nobis exhibet diuina sapientia *Prouerb.* 8. *Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso.* Nobis enim patet aditus, non in hortos Hesperidum, sed in terrestrem Ecclesiæ Paradisum, in quo *est lignum vitæ afferens fructus duodecim:* sicut enim fructus ligni vitæ, à quo per Cherub rompheam manu vibrantem primi prohibiti sunt Parentes, naturam calore natiuo exhaustam renouabat, eosque immortalitatis munere donabat: sic fructus ligni crucis in hoc sacrificio nobis exhibitus, animam vitiorum calore ambustam, pœnisque obnoxiam grauibus, immortalem, Deoque dignam efficit; quid ni? cum arbor crucis verè sit palma quam Christus ascendit, & apprehendit fructus eius, quos in hoc Missæ sacrificio nobis donauit. Sicut igitur Hercules fructus, poma, inquam, aurea hortorum Hesperidum deferens, Vitrico

Prouerb. 8.

Apocal. 22.

Genes. 3.

Cantico. 4.

Euryſtheo obtulit: ita diuinos hos fructus, & plusquam aureos, vario labore collectos, nulli ſatius, quam *Ill.^mæ, ac Reu.^mæ Dom.^ni veſtræ*, idque varijs titulis offerendos arbitratus ſum: primū (vt plurima Minimitano noſtro Ordini, mihique exhibita omittam) me, licet immeritum, ſacro ſacerdotij munere inſigniuit, huiuſq; ſacrificij Miniſtrum conſecrauit, quo non modò mihi, ſed & alijs fructus illius non modicus exoritur: eundem igitur fructum libello hoc exaratum in auctorem quaſi ſuum non referre,

Iſaiæ 37. ingratum foret: *Plantate vineam, & comedite fructus earum.* Deinde cui magis debetur hic fructus ſacrificij Liber, quam *Ill.^mæ Dom. V.* quæ à tot annis Pontificijs infulis decorata, & varijs Eccleſijs præfecta, quot ſacerdotes conſecrauit, tot ſacrificantes qui fidelibus fructum hunc diſtribuant, Eccleſiæ peperit; nec non tanquam Sacerdos magnus diuinam hanc victimam, miſticâ quâdam mactatione quotidie litat, conſecratque. En igitur Libellus iſte meus ad *Ill.^mæ Dom. V.* pedes prouolutus, aſylum quærit; & ſicut fructus mulieris, draconem

Apocal. 12. inſidiantem declinaturus, ad thronum Dei raptus

tus est: ita fructus hic meus venenatas oblatrantium linguas deuitans, ad thronum *Ill.me Dom. V.* aufugit, quam velut Deum in terris, & nouum in cœlo Belgico solem veneratur; ad FRANCISCVM, inquam, illum deflectit, præclarum Cameracensis sedis lumen, ac columen, religiosarum omnium virtutum splendorem, pastoralis officij decus: in quem cum mentis aciem deflecto, videre mihi videor mysticum aliquem solem Cameracensem Zodiacum perlustrantem, visitantem, paleisque desiccatis, varios vndique fructus germinare facientem. gaudeant igitur nobiscum Cameracensis Ecclesiæ campi tanti solis irradiati fulgoribus, cuius radij ecclipsim nesciunt, cuius lumen occasum ignorat, quem quia non nisi à longè, cæcutientibusque oculis intueri mihi licet, silentij velo contegere, modestiæque vestræ morem gerere decreui. suscipe igitur *Ill.me Dom.* Libellum hunc Minimitani animi Mnemosynon: & cum fructus hic sacrificij quatenus à me oriundus crudus adhuc, & immaturus sit, virtutum quæso vestrarum radijs maturescat. Hoc vnicum precor ac voueo, vt Deus Opt. Max. *Ill.mam Dom. V.*

diu

diu Ecclesiæ suæ incolumem tueatur, nostrumque Minimorum Ordinem solitâ beneuolentia fouere & ampliare dignetur, meque in Clientum suorum numerum adscriptum velit, qui sum

Illust.^me ac Reuerend.^me Domine

Illust.^me D. V.

Obseruantissimus subditus & in Christo seruus.

F. ANTONIVS RVTEAV Minimus.

è Conuentu nostro IESV MARIÆ Antuerpiensi
hâc die 13 Februarij 1634.

VENERANDO IN CHRISTO PATRI

P. ANTONIO RVTEAV

Conuentus P P. minimorum

ANTVERPIÆ CORRECTORI

NEC NON

THEOLOGIÆ LECTORI.

LIBRI SVI LVCEM

Fratri Frater accinebat

ANAGRAMMA

Pater ANTONIVS RVTEAV Minimus
Pretium eius ratum sanat non vi.

MEnsæ Cœlestis Deus est mensura, nec vllam
Illius pretium iustus esse potest.
Ipse Deus mensæ cibus est, Deus ipse phalernum;
Sacraque Diuino sanguine vasa replet.
Theiophagus non Theiophilus conuiua pudescat;
Cui tanto pectus nempe rigore stupet.
Hoc vitium est stomachi non est culpabilis esca;
Quæ dignis, animæ vita fit atque salus.
Nulla nimis grauis est numero vel pondere culpa,
Quam non potati sanguinis vnda lauet.
Mensæ huius pretio cœlum venale licebor:
Mensæ huius pretio venit & ipse Deus.

Purgantes flammas Mensæ huius potio sedat;
Vt sparsus gelido flaccet ab imbre focus.
Denique si qua premit læsam imperfectio mentem:
Hic cibus, hic potus subleuat omne malum.
Nulla hic sanandæ fertur violentia menti;
Cum præsto est, oleum quod iuga lenit, amor.
Prodest sumenti; prodest cui sumere mens est:
Sumentem nempe est, applicuisse, penes.
Hoc docet hic vestri, frater, pia pagina libri
Cuius in æternum mensa sit ista lytrum.

CRONICON.

PRETIVM ILLIVS SIT, DEVS TANTVS QVANTVS.

D. BENEDICTVS RVTEAV
Monasterij S. Dionysij Relig.

In Auctorem, & subiectum operis

ANAGRAMMA

ANTONIVS RVTEAV.

Verè nouus Titan.

PIerij reserate soli iuga sacra Camœnæ;
Tuque Heliconiadum culmen, Apollo, faue.
Fallor: abeste procul; potior nos tingit Apollo;
Nunc aliam citharam me mea musa docet.

Tu

Tu nouus, ANTONI, Titan; penetralia pandis
Bellerophonteis floridiora iugis.
Dum varios docet hic pulchro Liber ordine fructus,
Quos generat Christi sacrificantis amor.
Castalides sileant Nymphæ præconia fontis
Pegasei; cedant aurea stagna Tagi:
Tu mage nectareos fundis, roseosque liquores;
Ex hoc fonte, Dei vita cruorque fluit.
Hesperidum fuluo pomaria consita fructu
Finxerunt veteres, auriferumque nemus:
Nobiliore refert Liber hic nemus arbore sparsum,
Arbore, quâ populis vita, salusque datur.
Primus Adam vetitâ depromsit ab arbore malum,
Malum, quo nostri manat origo mali;
Reddita sed per cælestem fuit arbor Adamum,
Cuius inest folijs omnis origo boni;
Hanc tuus, ANTONI, Liber explicat, vndique fructus
Profert, ingenio munera digna tuo.
Quis neget ergo nouum te nunc Titana referre?
Cui Cælum fuerat, Vestaque terra parens:
Nam tua frugifero sapientia culta labore,
Mens tua ab æterno numine lumen habet.

CRONOGRAPHICVM.

QVI noVVs eXorItVr terræ, spLenDebIt oLIMpo.

Accinebat F. HVGO DE VILLERS Minimus.

EIVSDEM.

Ad Librum.

EN nouus exoritur, medium radiatque per orbem
Titan: quid! Minimus tantus an esse poteſt?
Eſſe poteſt: euge ergo Liber, quæ cauſa morarum?
Quid lucem, plenus luce, videre times?
A Minimo prodire times, minimusque videri?
Vix alijs magnus, qui ſibi talis, erit.
Edit te Minimus, fateor; ſed Pallade ſacrâ
Non minimus; Minimo nomine magna tegis:
Exponis varium Miſſæque Precumque valorem,
Ex quo tota fluit noſtra valore ſalus.
Iſte valor culpam, pœnam valor iſte remittit,
Purgantes flammas temperat iſte valor.
Mille, Liber, profert alios tua pagina fructus,
Fructus, effuſo munera digna deo.
Perge igitur minimè minimus, radioſque per orbem
Exere, nec minimus germinet inde valor.
Quære tuo lauros, quære & noua lumina Phœbo,
Lumina cæleſti perpetuanda die

Eidem:

SIcut mellifluos Hyblæo nectare fructus
Floribus electis ſedula fingit apis:
Sic Liber hic profert ſubtili nectare Miſſæ
Mellifluos fructus, dignaque dona polo.

Sicut

Sicut nectar apis qui vult, festinat ad aluum,
Sic qui vult fructus hos, Liber, aluus habet;
Ne timeas, nec apis stimulo prohibebit ab aluo,
Namque carens stimulo, hæc mellificauit, apis.

Accinebat F. I. A. M.

Eidem.

Tam bene qui Missæ fructus describis opimos,
Crediderim te illis fructibus intus agi;
Ergo age fac notos mortalibus omnibus esse,
Illud opus vestrum nomen in astra feret;
Proderit illud opus viuis, & manibus ipsis,
Quos purgat miseris, crimine, flamma locis;
Et quisquis ratione tui reddetur Olympo,
Ille ibi non poterit non memor esse tui,
Siue igitur terris, siue astris, teque tuumque
Perpetua hoc vnum, fama loquetur opus.

Accinebat F. I. R. M.

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Dubiorum quæ in his Libris continentur.

LIBER PRIMVS.

De fructu & applicatione sacrificij Missæ.

DISPVTATIO PRIMA.

Quæstio 3.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

Dubium 8.

DISPVTATIO QVARTA.

Quæstio 4.

DISPVSTATIO QVINTA.

LIBER SECVNDVS.

De fructu & Applicatione suffragiorum.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De fructu & applicatione sacrificij Missæ & suffragiorum respectu defunctorum.

DISPVTATIO PRIMA.

De diuersis fructibus qui per sacrificia & suffragia defunctis proueniunt.

DISPVTATIO SECVNDA.

De dispositione requisitâ in defunctis ad recipiendum fructum sacrificiorum & suffragiorum, & eius infallibilitate.

Dubium 2.

Dubium 2. *An suffragia prosint infallibiliter animabus purgatorij?*

Dubium 3. *An igitur diues qui totâ vitâ fuit in delitijs recipiat totum fructum sacrificiorum, & suffragiorum quæ pro ipso fiunt, & pauper qui non habet qui pro ipso oret, fiat solùm particeps communium suffragiorum?*

Dubium 4. *An cum sacrificia & suffragia non habent effectum in defuncto cui applicantur, puta quia sit in cœlo vel in inferno applicētur ex misericordiâ animabus indigentibus & derelictis?*

Dubium 5. *An suffragia Ecclesiæ communia magis prosint animabus Purgatorij quæ magis meruerunt?*

DISPVTATIO TERTIA.

De fructu Missarum priuilegiatarum.

Quæstio 1. *Quid sit propriè, Missas priuilegiatas prodesse defunctis per modum suffragij?*

Quæstio 2. *An Missa Priuilegiata certò, & infallibiliter liberet animam è Purgatorio?*

DISPVTATIO QVARTA.

De varijs alijs modis, quibus defuncti per sacrificia, & suffragia iuuantur.

Quæstio. 1. *An meliùs sit procurare dici Missas pro se ipso adhuc viuente, quàm mortuo?*

Quæstio 2. *An defunctus qui testamento ordinauit restitutionem aliquam, & hæredes sunt negligentes, diutiùs exinde detineatur in Purgatorio?*

Quæstio 3. *Quem fructum recipiunt animæ purgatorij ex communione quam fideles illis applicant?*

Facultas

Facultas Reuerendiſſimi Patris Generalis.

FR. FRANCISCVS A LONGOBARDIS totius ordinis Minimorum Corrector Generalis dilecto nobis in Chriſto filio Patri Fratri *Antonio Ruteau* inſtituti noſtri ſacerdoti profeſſo, Theologo, & Concionatori, Salutem.

Vt opus à te compoſitum cui titulus *De fructu & applicatione Miſſæ & ſuffragiorum*, ad publicam vtilitatem typis mandare, ac in lucem edere valeas, tenore præſentium Facultatem tibi facimus, modo à duobus noſtri ordinis Theologis à R. P. Prouinciali noſtræ prouinciæ Flandro-belgicæ deſignandis, approbentur. Datum Romæ in Conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis hac luce 24. Iulij 1633.

FR. FRANCISCVS A LONGOBARDIS Generalis.

Locus † Sigilli

Facultas R. P. Prouincialis

F*RATER* *BALTHASAR* *D'AVILA* *Fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula in Prouincia Belgica humilis Prouincialis, potestate ad id mihi data à Reuerendissimo Patre nostro Generali P.* F*RANCISCO A* L*ONGOBARDIS*, *Facultatem, feci duobus VV. PP. Philiberto Rousselle, & Hugoni de Villers sacræ Theologiæ Lectoribus, quatenus librum à venerabili Patre Antonio Ruteau, sacræ item Theologiæ Lectore & Prouinciæ nostræ Definitore compositum, cui titulus est:* De fructu & applicatione sacrificij Missæ, & suffragiorum, *legerent & approbarent: quorum relatione cum mihi constet, nil in eo esse sacræ fidei, & bonis moribus contrarium, facultatem etiam concedo, eidem Patri Antonio Ruteau, prædictum librum in bonum publicum edendi. Datum in Conuentu nostro Antuerpiensi hac luce 26. Decembris 1633.*

F. BALTHASAR D'AVILA Prouincialis

Locus † Sigilli.

CENSVRA ORDINARII.

TRactatum R. P. Antonij Rutèau Minimi, *De fructu & applicatione sacrificij Missæ, & suffragiorum*, cum summa voluptate ac vtilitate legi, quare dignum censeo qui lucem videat. Actum Antuerpiæ 3. Febr. 1634.

GASPAR ESTRIX Plebanus & Librorum Censor.

Censura Theologorum Ordinis.

NOs infra-scripti Lectores in S. Theologia Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Prouinciæ Belgicæ, ex præscripto R. Patris nostri Prouincialis P. BALTHASARIS D'AVILA, accuratè perlegimus, cum non minori iucunditate, quàm fructu, tractatum *De fructu & applicatione sacrificij Missæ, & suffragiorum,* Auctore V. P. F. Antonio Ruteau eiusdem ordinis Conuentus Antuerpiensis Correctore, ac sacræ Theologiæ Lectore, quod opus tam salutari, & orthodoxâ doctrinâ refertum, tam subtili, clarâ & rarâ eruditione, ac methodo conflatum comperimus, vt nostro iudicio dignum sit ab omnibus approbari, euolui, ac typis excudi. Datum in Conuentu nostro Antuerpiensi VI. Idus Februarij Anni M. DC. XXXIV.

F. PHILIBERTVS ROVSSELLE }
F. HVGO DE VILLERS } *S. Theol. Lectores.*

Ad Lectorem.

Mirabuntur fortasse nonnulli quod post tam multa tantorum DD. de Missæ sacrificio edita volumina, meum etiam iudicium ea in re publicare velim; sed non sine causa id accidit. Licet enim plurimi de Missæ sacrificio tam ad q. 83. 3. partis D. Thomæ, tum alibi multa scripserint, quia tamen materia amplitudine suâ plurima complectitur, varijs de rebus ad ipsum sacrificium spectantibus pertractarunt, eaq. ratione non ita varias difficultates enodarunt; præcipuè quæ ad fructum sacrosancti illius sacrificij spectant: videbatur igitur desiderari libellus aliquis qui exactè, & à fundamentis materiam hanc adeo vtilem, vnà cum fructu suffragiorum explicaret, quod Dei auxilio suffultus agere agressus sum, tum vt velut apis ex fructu hoc mellifluo, & adeo salutari participarem; tum vt aliorum etiam commodo, & vtilitati desudarem; videre enim est in hoc libello plurimas quæstiones piâ curiositate refertas, & hactenus non ita agitatas, ex quibus Lector non solùm vnde intellectum pascat, sed & voluntatem afficiat, reperiet, animaduertens maximam Dei erga nos bonitatē, qui in hoc sacrificio, velut in fonte, passionis Christi fructus conclusit, vnde quisque pro libitu haurire valet. Hanc igitur quantulamcumq. lucubrationem meā Lector æqui boniq. consulat, & dum pro formando de opere iudicio lectioni incumbet, nonnulla alia non minùs vtilia prælo subijcienda dispono. Diuiditur autem Tractatus in tres Libros, Libri in Disputationes, Disputationes in Quæstiones, Quæstiones in Dubia, & datâ occasione ea in paragraphos. In primo agitur de fructu & applicatione sacrificij Missæ generatim. In secundo de fructu suffragiorum. In tertio de fructu sacrificij, & suffragiorum respectu defunctorum.

LIBER PRIMVS
DE
Fructu & Applicatione ſacrificij Miſſæ.
DISPVTATIO PRIMA.
DE
Fructu generaliſsimo, ſpecialiſsimo, & ſpeciali ſacrificij Miſſæ.



E hâc diuiſione fructus non modò in Miſſę ſacrificio, ſed & in quolibet opere bono optimè loquitur Scotus *quodlibeto 20. a. 1.* quē ſequuntur *Gabriel in canonem Miſſæ lect. 26. Adrianus quodlib. 8. a. 3. Covarruuias c. alma Mater, Part. 1. §. 5. n. 5. Nauar. in manual. cap. 25. n. 91. Corduba lib. 1. q. 3. Aragonius 2. 2. q. 85. a. 3. §. Quarto eſt aduertendum, Valentia t. 4. diſp. 6. q. 11. punct. 1.* hanc diuiſionem Nauarrus vſu Eccleſiæ meritò receptam affirmat, & hoc modo facilè, & distinctè explicatur fructus, & eius diſtributio in Miſſæ ſacrificio, alijs ſuffragijs & bonis operibus fidelium. 1

Fructus generaliſſimus eſt qui ex Miſſæ ſacrificijs, & alijs bonis operibus, Eccleſiæ membris applicatur; & ſignificatur per nonum ſymboli articulum: *Communionem Sanctorum.* quod fieri poteſt dupliciter, Primo ex ſolâ radice charitatis, quâ fideles inter ſe vniti, tanquam eiuſdem corporis membra participant de bonis ſingulorum, vt rectè Diuus Thomas opuſcu. ſexto articulo 15. & hic modus applicationis, & participationis non requirit aliquam intentionem operantis, quia ex naturâ rei bonum vnius membri naturaliter participatur à cæteris. Secundò ratione intentionis generalis quâ omnia ſacrificia, & plurimæ orationes Eccleſię fiunt generaliter pro omnibus fidelibus, vt patet ex eo quod ſacerdotis oblatio ſit cōmunis pro totâ Eccleſiâ, & orationes non modò Miſſæ, ſed & aliæ plures ſint cōmu- 2

Fructus alius generaliſsimus ſpecialiſsimus & ſpecialis.

nes & maximè oratio Dominica. ex his igitur omnibus sacrificijs, & orationibus communibus exurgit fructus aliquis omnibus fidelibus, etiam peccatoribus, vt fusiùs infrà dicetur.

3 Fructus specialissimus est qui ipsi operanti vt talis est cōpetit, & si mentem Scoti vbi suprà, sequi velimus, comprehendit maximè meritū gratiæ, & gloriæ, gaudium cōscientiæ de bono opere patrato, impletionem præcepti per tale opus, & similia, quæ soli operanti cōuenire possunt. His adiungi potest in sacrificio Missæ portio fructus obueniens sacerdoti etiam pro alio celebranti, qui non est putandus se velle priuare omni fructu, cùm pro alio celebrat.

4 Specialis, seu, vt alij, medius, est qui prouenit ei pro quo quis specialiter offert sacrificium, orat, aut aliud opus bonum facit. Quod autem hic tertius fructus distinguatur ab alijs, patet ex vsu Ecclesiæ instituentis sacrificia & varia suffragia specialia prò hoc vel illo homine, pro hâc, vel illâ re, quæ frustrà instituta essent, nisi hoc tertio, & speciali modo applicarentur,

De hoc igitur triplici fructu sacrificij missæ totâ hâc disputatione singillatim agetur; & quia fructus generalissimus est duplex, de duplici illo fructu etiam aliquid dicetur.

QVÆSTIO PRIMA.

De Fructu generalissimo.

DVBIVM PRIMVM.

Quem fructum consequuntur fideles ex Missæ sacrificijs ratione generalis intentionis quâ pro totâ Ecclesiâ offeruntur?

5 NOta quæstionē non esse de fructu quem consequuntur fideles eò quòd suo modò offerāt omnia sacrificia per sacerdotes qui in personâ totius Ecclesiæ illa offerunt, de quo suo loco infrà. Nec de fructu orto ex ijs sacrificijs quæ specialiter pro omnibus fiunt; cùm enim plurimi quotidie celebrent pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, fructum aliquem inde oriri necesse est. Agitur ergò de fructu qui oritur ex omnibus sacrificijs quæ generali intentione semper offeruntur pro Ecclesiâ & omnibus fidelibus, & quæritur quis ille sit, & an singulis fidelibus viuis & defunctis aliquis inde proueniat.

Quod

Quod autem omnia sacrificia intentione generali semper fiant pro Ecclesiâ, & omnibus fidelibus, colligitur ex oblatione panis: *sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atque defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem* Ex oblatione Calicis: *vt in conspectu diuinæ maiestatis pro nostrâ, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat.* Ex canone: *quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ, vnà cum famulo Papa, & omnibus orthodoxis, &c.* 6 *Sacrificia intentione generali pro omnibus fidelibus fiunt*

Prima igitur sententia est ex singulis sacrificijs ratione generalis intentionis quâ pro totâ Ecclesiâ offeruntur non prouenire singulis fidelibus fructum aliquem satisfactionis ex opere operato, sed tantùm per modum impetrationis. ita *Suar. 3 p. tom. 3. disp. 79. sect. 5. Filliu. tract. 5. c 3. quaest. 7 concl. 3.* qui volunt hanc diuisionem fructus sacrificij in generalissimum, specialissimum, & specialem ortam esse ab auctoribus contrariæ sententiæ, nec putant admittendam, nisi fructus generalissimus sit per modum impetrationis dumtaxat. Idem docent. *Coninck. q. 83. a 1. d. 9. Praepos. ibidem d. 19.* qui addunt fructum impetrationis non prouenire singulis fidelibus in particulari, sed toti corpori Ecclesiæ, vt quòd Deus prouideat ecclesiæ de bonis Prælatis, quòd pacem, & tranquillitatem largiatur, &c. 7 *Quidam volunt sacrificia prodesse toti Ecclesia solum quoad impetrationem.*

Probatur hæc sententia primò: si ex singulis sacrificijs proueniret fidelibus fructus aliquis satisfactionis ex opere operato ratione generalis intentionis, fieret de iure diuino, vel ecclesiastico: neutrum dici potest: non primum, quia nullum reperitur, & Ecclesia rectè priuat excommunicatos eo fructu, quod facere non posset, si applicatio hæc esset de iure diuino. Neque secundum, quia nullum etiam est, & totum quod colligi potest est, quod Ecclesia intendat omnia sacrificia offerri pro omnibus fidelibus; sed hoc non conuincit, tùm quia multis locis Missę fiunt solùm orationes pro Ecclesiâ; tùm quia licet fateamur pro eâdem Ecclesiâ offerri sacrificia, solum sequitur aliquo modo illi prodesse, prosunt autem quoad impetrationem, & hic est fructus non modò orationum quæ fiunt in Missâ, sed & ipsorum sacrificiorum. Et confirmatur ex eo quod in Canone dicitur: *quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ* & statim additur fructus intentus: *quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris.* ergò sacrificia eatenùs offeruntur pro Ecclesiâ, quatenùs impetrent ipsi corpori Ecclesiæ pacem, vnitatem, &c. 8

Probatur secundò: sacrificia non offeruntur pro omnibus fidelibus in particulari, sed tantùm pro illis prout vnum corpus Ecclesiæ simul constituunt, ergò singuli non recipiunt fructum aliquem particularem, sed tantùm generalem, & communem toti Ecclesiæ, qualis est fructus iam dictus. 9

Tertiò aliàs sequeretur iustum vix remanere debitorem pœnæ, si ali-
10 quamdiu in gratiâ perseueret; & animas vix remanere in purgatorio, quia
ex singulis, & infinitis ferè sacrificijs reciperent quotidie remissionem ali-
cuius pœnæ ex opere operato.

11 Secunda sententia est contraria, prouenire singulis fidelibus ex singu-
Alij quoad remissionem pœnæ. lis sacrificijs remissionem alicuius pœnæ ex opere operato. ita plures gra-
ues Doctores, qui tamen variè hanc sententiam explicant. *Caiet. tom 2.*
tract. 3. *q.* 2. §. *quo sit.* vult eum fructum oriri ex eo quòd singuli fideles
tamquam membra Ecclesiæ suo modo caussaliter concurrant ad sacrificia,
eo ipso quo sacerdos illa offert in personâ Ecclesiæ: cùm ergo singuli offe-
rentes suo modo participent etiam quoad fructum satisfactionis, colligit
singulos fideles etiam in illis participare; & addit hoc fieri secũdùm quan-
titatem deuotionis quam habent in communibus Ecclesiæ sacrificijs; sed
de hoc modo participandi iam non est quæstio, sed infrà, suo loco dice-
tur. *Vasquez* autem è cõtrario 3. *p. disp.* 231. *c.* 3. *&* 6. docet singulos fideles
recipere fructum aliquem satisfactionis ex opere operato ex singulis sacri-
ficijs, non quia suo modo offerant, cùm putet exinde præcisè nullum ta-
lem fructum oriri, sed quia pro illis omnibus generali intentione offe-
runtur. *Nauar. in manu. c.* 25. *n* 111. diuiso fructu Missæ in varias portiones,
vnam tribuit singulis fidelibus, quam dicit nec minui, nec augeri pro
quantitate fideliũ. quem sequitur *Valentia. t.* 4. *disp.* 6. *q.* 11. *p.* 1 §. 25. *Bonac.*
verò de. sacra. disp. 4. *q vlt. punct.* 4. *n.* 1. *&* 9. vult singulos fideles ex singulis
sacrificijs recipere maiorem, vel minorem fructum iuxta Christi determi-
nationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam vniuscuiusque coopera-
tionem ad sacrificium. *& n.* 5. dicit fructum hunc esse infinitum exten-
siuè; nec tot applicari, quin possit applicari pluribus. *Aragon.* 2. 2. *q.* 85. *a.*
3. §. *quocirca.* docet ex quâlibet Missâ quemlibet fidelium recipere tripli-
cem fructum ex opere operato & ex iustitiâ si sit in gratiâ, & si in mortali,
saltem ex congruo: primum ratione communionis Sanctorum, seu quia
est membrum Ecclesiæ. Secundum, quia Ecclesia offert generaliter sacri-
ficia pro illis. Tertium, quia suo modo etiam offerunt; *Azor. tom.* 1. *lib.* 10.
cap. 20. *&* 21. *Henricq. lib.* 9. *cap.* 19. *num.* 5 *Reginal. lib* 29. *num.* 157. *&c.* pro re-
solutione

12 Dico primò, ratione generalis intentionis quâ sacrificia pro Ecclesiâ
Corpus Ecclesiæ recipit fructum ex sacrificijs. offeruntur, prouenit ipsi corpori Ecclesiæ fructus aliquis, per modum
impetrationis, vt quod Deus prouideat Ecclesiæ de bonis Prælatis, quòd
illos in Ecclesiæ regimine meliùs dirigat, quòd pacem Ecclesiæ conser-
uet, quòd eam ab hostibus spiritualibus, & corporalibus tueatur, &c,
Ita

Ita auctores primæ sententiæ, nec puto alios id negaturos. & expressè docet Nauarrus suprà, vbi distinguens, & diuidens fructum Missæ in varias portiones, vnam tribuit orthodoxis, seu singulis fidelibus, alteram Ecclesiæ. Pro quo nota fieri posse distinctionem inter ipsam Ecclesiam sumptam pro corpore mystico cōposito ex omnibus fidelibus copulatim sumptis: & candē prout dicit singulos fideles in particulari seu copulatiuè sumptos; ita vt sacrificia non solùm offerantur pro bono totius corporis Ecclesiæ, sed etiam pro salute singulorum fidelium. Quam distinctionem innuere videtur prædictus Nauarrus, & fundari potest in his verbis Canonis: *imprimis quæ tibi offerimus pro ecclesiâ tuâ sanctâ, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris.* Et hoc ad ipsum corpus Ecclesiæ pertinet. Quod autem sequitur, ad ipsos fideles: *vnà cum famulo tuo Papa nostro, Antistite, Rege, & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.* Item in primâ antecommunione: *ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuæ, eamq́; secundùm voluntatem tuam pacificare, & coadunare digneris.* Sic igitur intellecta conclusio probatur primò: sacrificia offeruntur pro ipso corpore Ecclesiæ, vnde recipere debet fructum aliquem, qui non potest esse alius quàm prædictus. 2. Ecclesia instituit ordinem Missę addendo pios ritus, & orationes, & in particulari iam citatas; sunt etiam multæ collectæ quæ leguntur in Missâ, in bonum totius Ecclesiæ, vt Deus mala ab eâ auertat, pacem, & prosperitatem largiatur, ab aduersitatibus, & inimicis liberet, Prælatos in regimine dirigat, speciali prouidentiâ eam regat, &c. 3. Id docet S. Ambrosius in oratione quæ in Missali est pro dispositione ad Missam, vbi loquens de hoc sacrificio, ait: *suscipe illud quæso summe Deus pro ecclesiâ sanctâ tuâ, & pro populo quem acquisisti sanguine tuo.*

Aliud omnes fideles, aliud ipsum corpus Ecclesiæ.

Obijcit *Aragonius suprà, §. sed quoniam*, & reprehendit Nauarrum falsitatis in hoc quòd assignet partem fructus Missæ toti Ecclesiæ, & alteram 14 omnibus Orthodoxis, dicens, Ecclesiā nil esse aliud præter omnes Orthodoxos, proindeque non debere duplicem hunc fructum eidem tribuere. Sed ipsemet fallitur, & Nauarri mentem non rectè apprehendit; distinguit enim nobiscum, vt dictum est, ipsum corpus Ecclesiæ, à singulis fidelibus, & vtrique suam portionem assignat; quod ex eius verbis sequentibus amplius colligere est. Et rectè hæc duo distinguuntur, præcipuè cùm fructus aliquis conuenire possit soli corpori Ecclesiæ, vt est prædictus in conclusione; alius solis fidelibus in ordine ad salutem, vt statim dicetur.

Quæres an fructus hic sit ex opere operato? Resp. fructū respondentem 15 prædictis orationibus Missæ indubiè esse ex opere operantis; vltra quem tamen, quia sacrificia etiam offeruntur pro ipso corpore Ecclesiæ, recipit

etiam fructum aliquem impetrationis respondentem ipsi sacrificio, quem dici posse ex opere operato dicetur disputat. 2 quæst. 5.

Fideles recipiunt fructum satisfactionis ex opere operato ex sacrificijs.

16 Dico secundò: prouenit etiam fructus aliquis remissionis pœnæ ex opere operato ipsis fidelibus ratione generalis intentionis, quâ sacrificia pro offeruntur. Ita auctores secundæ sententiæ, qui licet variè rem explicent, conueniunt tamen in hoc quòd proueniat fructus aliquis fidelibus ex opere operato. Probatur primò: si ex sacrificijs ratione generalis intentionis fideles solùm consequerentur fructum aliquem per modum impetrationis, sequeretur sacrificium non offerri pro ipsis fidelibus, sed tantùm in Missâ fundi orationes impetratorias pro illis; hoc autem repugnat verbis Missæ, dicitur enim in oblatione panis: *suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, &c. sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atque defunctis vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam*. Et in oblatione Calicis: *offerimus tibi Domine Calicem salutaris &c. pro nostrâ & totius mundi salute*. Et in Canone: *imprimis quæ tibi offerimus, &c. & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Et hoc bene notent aduersarij, quomodo illa verba necessariò intelligantur de ipsis fidelibus in particulari, qui inde recipere debent fructum aliquem in ordine ad salutem.

17 Probatur secundò, si fidelibus proueniret solùm fructus aliquis per modum impetrationis, vt vult Suares, & alij, ille esset ex opere operato, vel operantis: non secundum solum, quia sic dicendum esset tantùm fundi preces in Missâ pro omnibus fidelibus, non autē offerri sacrificia, quod reiectum est. Neque primum, quia si ex eo quod pro illis offerantur sacrificia recipiant fructum aliquem impetrationis ex opere operato, recipere etiam debent fructum satisfactionis ex eodem opere operato, quod intendimus, quia non est in potestate sacerdotis offerentis diuidere hoc modo fructus sacrificij applicando vni impetrationem, alteri alios effectus quando subiectum est capax omnium fructuum sacrificij, vt suo loco dicetur. Deinde celebrans nihil simile intendit. Tertiò, omnia sacrificia generali intentione indifferenter offeruntur pro viuis, & defunctis; si autem nullus alius fructus exurgeret nisi iam dictus in primâ cōclusione, vt volunt Coninck & Præpositus, ad quid prodessent sacrificia generali intentione oblata pro defunctis, cùm fructus ille eos non tangat.

18 Quartò, cùm sacerdos ex intentione speciali offert sacrificium pro omnibus fidelibus defunctis, aut etiam pro viuis, illis indubiè prouenit fructus aliquis medius satisfactionis ex opere operato, cùm non sit ratio cur sacrificium frustretur suo effectu respectu illorum omnium, positâ capacitate subiecti. Ergo sacrificium habebit etiam suum effectum ex generali

li intentione quâ pro omnibus viuis, & defunctis offertur; non enim est alia differentia inter intentionem hanc generalem, & specialem, nisi quòd virtute intentionis specialis fructus maior proueniat quàm ex generali.

Ex dictis sequitur non solùm prouenire fidelibus viuis, & defunctis fructum satisfactionis ex opere operato ex singulis sacrificijs, sed etiam alios effectus ex eodem opere operato, secundùm tamen cuiusque capacitatem, quia viuis iustis prosunt quoad meritum gratiarum præuenientium, satisfactionem, & impetrationem. Peccatoribus non quoad satisfactionem. Defunctis quoad satisfactionem, & impetrationem. Ratio est, quia est par ratio omnium effectuum Missæ ex opere operato, ita vt si cui proueniat vnus, debent & alij, si eorum est capax, cùm, vt dictum est & infrà dicetur, non possint hoc modo diuidi fructus sacrificij posito subiecto capaci omnium.

Quoad rationes primæ sentētię prout dictis contrariantur, Respondeo ad primam, eam tangere quæstionem, an fructus prædictus proueniat fidelibus de iure diuino; vel ecclesiastico. *Nauar. suprà* docet prouenire ex intentione generali Ecclesiæ. *Azor l. 10. cap. 20. in fine. Bonac. suprà n. 1. Vasq. item supra c. 6. n. 36.* dicunt fieri ex intentione & institutione Ecclesiæ *Henriquez c. 21. n. 3.* ex institutione Christi, & Ecclesiæ. Arbitror ego quod sicut Christus instituto hoc sacrificio reliquit Apostolis, & Ecclesię dispositionem rituum, & orationū Missæ sacrificij, ita & eidem Ecclesię reliquit applicationem fructus eiusdem sacrificij qui in varios diuidi debebat; quia verò ignorabat Eccl. sia quantitatem huius fructus, reliquit Dei prouidentiæ distribuendam suam portionē illis omnibus quibus intendit applicare. Quod insinuare videtur Bonacina suprà cùm ait fideles recipere hunc fructum iuxta Christi determinationem, & intentionem Ecclesiæ & Azorius suprà ait Ecclesiam omnem fructum sacrificiorum distribuisse fidelibus, excepto fructu medio, quem voluntati sacerdotis distribuendum reliquit. Hoc autem colligi potest ex verbis vtriusque oblationis, & alijs partibus Missæ, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ, in quibus sacrificia expressè offeruntur pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, pro Papa, &c. & pro ijs quibus specialiter applicatur per intentionem mediam. Ad confirmationem primæ rationis Respondeo, sicut dicitur in Canone. *quam pacificare, &c* ita vt in vtrâque oblatione, in quibus maximè offertur, & applicatur sacrificium, dicitur: *vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. pro nostrâ. & totius mundi salute.*

Fructus prædictus oritur ex ordinatione Ecclesiæ, & determinatione Christi.

Ad secundam patet solutio ex dictis. Ad tertiam maior est difficultas quæ dubio sequenti soluetur. Vnde sit

DVBIVM

DVBIVM SECVNDVM.

An ex singulis sacrificijs ratione generalis intentionis singuli fideles recipiant fructum aliquem satisfactionis ex opere operato; & an fructus hic applicatus multis, minùs prosit singulis?

Quibusdam fructus generalis est infinitus extensiuè, non specialis.



Ermo est de intentione & applicatione generali, non speciali, seu mediâ, de quâ *dispu.* 3. quidam enim inter hæc duo ponunt distinctionem, & tribuunt infinitatem quandam extensiuam intentioni generali, ita vt fructus sic applicatus multis, non minus prosit singulis; quam tamen negant intentioni, & applicationi speciali, seu mediæ. *vt Sot. in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 1. §. 25. Bonac. sup. punc. 4. n. 5.*

Quidam docent fructũ generalissimum esse infinitum intensiuè & extensiuè, proindeq; ex singulis sacrificiis singulos fideles aliquem fructum consequi.

21 Prima igitur sententia est, singulos fideles ex singulis sacrificijs ratione generalis intentionis recipere fructum aliquem satisfactionis ex opere operato, qui non augetur ex paucitate, nec minuitur ex multitudine, sed magis vel minùs recipitur iuxta cuiusque dispositionem. *ita Caiet. tom. 2. tra. 3. q. 2. & 3. p. q. 79. a. 5. Aragon. q. 85. a. 3. Canus de locis l. 12. c. 13. circa finem. Vasquez. disp. 231. c. 3. &c.* qui generaliter affirmant fructum generalem sacrificij esse infinitum intensiuè, & extensiuè, & infinitatem extensiuam fundari super intensiuâ. Fructum infinitum intensiuè vocant qui non est determinatus ad certum gradum, sed semper in infinitum augeri potest ex causâ, puta (vt volunt) ex maiori deuotione; fructum verò extensiuè infinitum, qui non est determinatus ad certum numerũ personarum, sed pluribus applicatus non desinit æquè prodesse singulis. de quo pluribus disp. 3.

22 Secunda sententia est, fructum hunc ex generali intentione ortum prodesse quidem singulis fidelibus, sic tamen vt finitus sit, & taxatus intensiuè, non tamen extensiuè, ita vt applicatus pluribus, æquè prosit singulis, ita *Sot. Valent. Bonac. suprà.* Ratio est, quia licet secundùm illos omnis fructus sacrificij etiam generalis sit finitus in se, non videtur tamen determinato numero personarum applicari, quin potiùs indeterminato, aut applicatus multis æquè prosit singulis. & hoc docent ratione variorum incommodorum quæ aliàs vitari non possent: nam primò sequeretur ex multi-

multiplicatione fidelium singulos detrimentum pati quoad participationem fructus generalis sacrificiorum. Secundò aliàs præstaret assistere Missæ vbi pauci sunt, quia quo plures aderunt, eò minùs singuli de fructu recipient, quod certè non videtur rationi consonum. Tertiò denique videtur hæc sententia conformis menti Ecclesiæ, quæ non determinauit numerum eorum de quibus fit mentio in vtroque memento, qui limitandus esset si fructus non esset extensiuè infinitus, & applicatus pluribus minùs prodesset singulis.

Tertia sententia est quemlibet fructum Missæ non modò medium, sed & generalem esse omninò finitum intensiuè, & extensiuè, ita vt applicatus pluribus minùs prosit singulis. Ita Doctores infrà citandi, vbi amplius hæc sententia examinabitur. pro quo. 23 *Alij quemlibet fructum generalem, & medium esse finitum intensiuè, & extensiuè.*

Nota eos quibus fructus sacrificij tum generalis, tum medius applicatur, esse in duplici differentiâ: quidam enim sunt pro quibus offertur, & ipsi pro suâ parte non offerunt, vt animæ purgatorij, & viui quibus applicatur sacrificium, de quo tamen nil cogitant: alij sunt pro quibus offertur, & suo modo etiam offerunt, vt assistentes Missæ, dici procurantes &c. Hæc doctrina desumpta est ex Caietano suprà, & plurimum adfert lucis hâc in re; & licet *Sotus l. 9. de iustitiâ q. 2.* non ita eam aduerterit, illâ tamen vtitur re melius pensatâ (vt ipsemet fatetur) *in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Suarez tom. 3. disp. 79 s. 12. Azor. lib. 10. cap. 20. quæsito 8. Bonac. suprà n. 2 & 8.* Vnde non rectè plurimi hæc confundunt. Ex hâc distinctione colligunt Doctores ex pluralitate eorum qui offerant non minui fructum in singulis, sed siue sint pauci, siue multi offerentes, non desinit quisque tantum fructum recipere ratione propriæ oblationis particularis, vt *disp. 3.* dicetur, sed de hoc non est quæstio. Difficultas igitur est an ex pluralitate eorũ pro quibus offertur sacrificium, ita vt ipsi suo modo non offerant, minuatur fructus in singulis. pro quo suppono ex dicendis *hoc lib. disput. 4. q. 2. d. 2.* fideles dici quidem aliquo modo offerre sacrificia quatenùs sunt membra Ecclesiæ offerentis, non sic tamen vt inde recipiant fructum aliquem ex opere operato; & licet reciperent, adhuc distinguendus esset fructus illis proueniens quatenùs offerunt, & quatenùs pro ijs offertur, de quo secundò est quæstio. Vnde 24 *Pulchra distinctio inde eos pro quibus offertur sacrificium, & non offerunt; & pro quibus offertur & simul offerunt. Ex pluralitate offerentiũ non minuitur fructus.*

Dico primò singuli fideles non recipiunt fructum aliquem satisfactionis ex opere operato ex singulis sacrificijs eò quod generali intentione pro illis omnibus offerantur, nec fructus ille est infinitus intensiuè, nec extensiuè, sed applicatus multis minùs prodest singulis. In hanc sententiã videtur inclinare *D. Thomas qui in 4. d. 45. q. 2. art. 3. quæstiunc. 2. &* alijs locis 25 *Singuli fideles non recipiunt ex singulis sacrifi-*

tijs fructus quia pro illis offertur, dub. 4. citandis docet ex suffragijs factis pro animâ purgatorij prouenire omnibus alijs fructum aliquem qui non minuitur ex multitudine, quem dicit esse gaudium spirituale: at verò cum loquitur de satisfactione ijsdem suffragijs respondente, longè aliter philosophatur, & comparat illam solutioni debitę ex iustitiâ, & eam satisfactionem applicatam pluribus docet per diuinam prouidentiã inter eas diuidi: cum igitur tam strictè de satisfactione loquatur, videtur mens ipsius esse generaliter siue per intentionem specialem siue generalem eam applicatam multis, semper minùs prodesse singulis, & semper secundùm strictum rigorem iustitiæ applicari. Huic consonat alter *Thomas Caietanus suprà* vbi licet asserat contrà nostram sententiam singulos fideles recipere fructum aliquem ex singulis sacrificijs quatenùs ad ea aliquo modo caussaliter concurrunt, docet tamen etiam expresè fructum satisfactionis sacrificij quatenùs per sacerdotem præcisè applicatur pluribus, minùs prodesse singulis. Idem docet *Suarez disputat.* 79. *s.* 12. *conclusione secundâ* quoad fructum medium, quod etiam indubiè diceret de fructu generalissimo, si nobiscum sentiret ratione intentionis generalis conferri fidelibus fructũ satisfactionis ex opere operato, cum expresè ibi dicat oblatũ pro communitate minùs prodesse singulis, & repetit in fine sectionis. & colligitur ex *Scoto quidlibet* 20. *Adrian. quidlibet.* 8. *a* 3. *Azor. l.* 10. *c.* 20. *&* 21. *&c.* & certè quod ad me sententia hæc mihi semper visa est melior, & contraria præcipuè secunda non ita firmo niti fundamento, tota enim ratio ponendi infinitatem hanc extensiuam in applicatione generali est ob incommoda quæ in nostrâ sententiâ obuenire putant aduersarij; si igitur incommoda illa dissoluantur, nulla suberit ratio illud affirmandi, quod post probationem conclusionis facilè fiet.

26 *Eadem est ratio, & natura fructus generalis & medij.* Probatur igitur conclusio primò, fructus respondens applicationi speciali seu mediæ non est nisi finitus intensiuè, & extensiuè, vt docent auctores secundæ sẽtẽtiæ, & probabitur *hoc lib. disp.* 3. *d.* 2. *&* 4. ergò & fructus per intentionem generalem applicatus omnibus fidelibus. Probatur consequẽtia quia quod portio aliqua fructus deuoluatur omnibus fidelibus per applicationem generalẽ, & alia quibusdam in particulari per applicationem specialem, oritur ex intentione, & institutione Ecclesiæ (vt Dub. præcedenti dictum est) quæ totum fructum in certas portiones illis iuxta diuinam prouidentiam distribuit: atqui secundùm hoc fructus sacrificij sortitur eandem naturam prout secundùm aliquam sui partem diuiditur in omnes fideles, & secundùm aliam in aliquos particulares quibus specialiter applicatur, ergò si prout specialiter applicatur quibusdam in particulari non est infinitus extensiuè, non erit etiam prout per intentionem

tionem

tionem generalem applicatur omnibus fidelibus, sicque applicatus pluribus minùs proderit singulis. Confirmatur, fructus respondens intentioni generali sic esset maior quàm respondens intentioni particulari, quod non videtur asserendum. de quo plura loco citato.

Probatur secundò, fructus quilibet sacrificij siue generalis, siue medius est finitus intensiuè, vt hic suppono, ergò & extẽsiuè, nam vt rectè *Scot. quodl. b. 20. a.* 1. fructus in plures æqualiter distributus & extensus æquiualet fructui intensiori, & est maioris valoris, v. g. applicem totum fructum sacrificij Ioanni qui inde recipiat quinque gradus satisfactionis; & posteà applicem Ioanni & Petro; si applicatus pluribus æquè prodest singulis, quisque recipiet adhuc quinque gradus; & si deinde applicem viginti fidelibus, ecce fructus sacrificij centum graduum, & sic in infinitum, ergò fructus extensiuè infinitus necessariò fundatur super infinitate intensiuâ, & si sit finitus intensiuè, vt concedunt, erit & extensiuè & applicatus pluribus minùs proderit singulis.

Fructus extẽsiuè maior æquiualet intensiori.

Tertiò si fructus hic esset infinitus extensiuè, & singuli fideles ex singulis sacrificijs fructum aliquem remissionis pœnæ ex opere operato reciperent, sequeretur fideles qui aliquando in gratiâ perseuerauerint nullius pœnæ fore debitores, & animas vix remanere in purgatorio, vt rectè arguebant auctores primæ sententiæ dub. præcedenti, quia ex singulis sacrificijs fere infinitis recipiunt quotidie remissionem alicuius pœnæ. Nec est quod dicat *Vasquez disp.* 231. *c.* 6. *n.* 37. intentionem hanc generalem non esse ita efficacem vt tam citò animæ liberentur à totâ pœnâ. Respondetur enim generalem applicationem non obstare quò minùs aliquid certi licet exiguum accidat singulis; exiguitas autẽ illa per infinita ferè sacrificia singulis diebus multiplicata, indubiè crescit in magnum cumulum satisfactionis ex opere operato,

Reijcitur ratio Vasq.

27 Ad incommoda igitur contrà nostram sententiam allata in secundâ sententiâ. Ad primum, quod fideles aliquid detrimenti paterentur in participatione fructus sacrificiorum, ex multiplicatione fidelium, soluetur sequenti conclusione, Ad secundũ, quod præstaret audire Missam vbi sunt pauci, Resp. adstantes sacrificio eatenùs præcipuè dicuntur recipere fructum aliquem, quatenùs suo modo cum sacerdote offerunt sacrificium vt *hoc l. b. d sp.* 4 *q.* 4. *d.* 2. dicetur, & hic fructus qui præcipuus est non minuitur ob multitudinem; licet igitur in nostrâ sententiâ fructus proueniens ex eo quod sacerdos pro circumstantibus offerat sacrificium minuatur in singulis ratione multitudinis, parùm est, cum semper æqualis maneat fructus magis principalis ratione propriæ oblationis cum sacerdote.

Deinde hanc diminutionem Deus sufficienter compensat per hoc quod ob multitudinem orantium, & coofferentium speciales aliquos fructus illis conferat; item ex multitudine coofferentium quisque habet maiorem deuotionem, & multò facilius, & efficacius à Deo exauditur.

28 Ad tertium, quod non sit determinatus numerus eorum de quibus fit mentio in vtroque memento, & quod inde videatur colligenda infinitas extensiua; immò vt aiunt *Caietanus suprà §. & confirmatur, Aragonius in tertiâ ratione suæ sententiæ*: sacrificia offeruntur pro singulis fidelibus, pro Papâ, & alijs nominatis, pro omnibus circumstantibus, & pro memoratis in memento, vt iam dictum est, pro quibus omnibus non solùm in Missâ funduntur orationes, sed etiam verè offeruntur sacrificia, vt patet ex Canone, vbi dicitur: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro redemptione animarum suarum &c.* in his autem omnibus non est determinatus numerus, sed quasi infinitus. & hanc rationē dictus *Aragonius* vocat efficacissimam. Ad quam tamen Resp. non mirum solutionem difficilem esse, cum ipsemet *Aragonius*, & alij quæstionem hanc difficilem admodum vocent, & fundamenta nostra æquè ac magis difficulter solui possint. Dico igitur primò ex eo quòd non sit determinatus numerus eorum pro quibus offeruntur sacrificia non sequitur fructum esse infinitū, quia in sententiâ multorū aduersariorum scilicet *Soti, Valentiæ, Bonacinæ &c.* cum sacrificia offeruntur pro omnibus fidelibus applicatione speciali, & mediâ, numerus eorum pro quibus offeruntur non est determinatus, fructus tamen secundùm illos est finitus; deinde in omni sententiâ, etiam *Caietani & Aragonij* cum quis pro omnibus fidelibus ieiunat, & disciplinam sumit, numerus eorum pro quibus fit opus illud bonum non est determinatus, fructus tamen omninò finitus est. Vnde generaliter indeterminatio eorum quibus fructus aliquis applicatur non est sufficiens fundamentum infinitatis. secundò in particulari R. ad eam obiectionem. quoad omnes fideles solutio pendet ex sequenti conclusione. Quoad Papam, & alios nominatos recipiunt fructum aliquem ex singulis sacrificijs, vt *hoc lib. disp. 4. q. 4. d. 4.* Quoad assistentes sacrificio, iam dictum est. Quoad eos verò quorū fit mentio in vtroque memento, *Nauar. in manua. c. 25. n. 111.* Docet fructum ijs applicatum augeri, vel minui pro maiori, vel minori eorum numero. Puto ego communiter pro illis solùm fundi orationes in Missâ (nisi speciali intentione sacerdos velit pro illis offerre sacrificium, & sic fortè intelligendus est Nauarrus) Quod patet ex rubricis Canonis vbi in memento defunctorum vt ostendatur solùm fundi orationes pro ijs quorum facit memoriam dicitur: *orat aliquātulum pro ijs defunctis,*

Inde terminatio eorum pro quibus offeruntur sacrificium non aufert infinitatem fructus.

Pro nominatis in memēto cōmuniter solùm fiunt orationes, & offeruntur sacrificijs.

pro

pro quibus orare intēdit. Et statim in verbis Canonis additur etiam oratio: *ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locū refrigerij lucis & pacis vt indulgeas deprecamur*. Ergò pro illis quatenùs solùm fit memoria non offertur specialiter sacrificium, sed tantùm fit oratio, quæ coniuncta tanto sacrificio multò maioris est efficaciæ. Item patet ex memento viuorum, vbi in rubricis idem additur vt fiat oratio pro illis. Nec obstat quod immediatè sequitur: *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus &c.* Quod contrà nos adferunt *Caietanus & Aragonius*, quia hoc ad solos circumstantes attinet, cùm ea quæ ibi dicuntur non possint applicari omnibus de quibus fit mentio in memento, vt consideranti patet. Aduerte tamen quod si sacerdos intendat quibusdam, vel omnibus nominatis in memento applicare partem satisfactionis sacrificij, absque eo quod deroget fructui quē debet recipere is pro quo specialiter celebrat ratione stipendij v.g. tūc non solùm oratio, sed & fructus ille ex opere operato illis applicabitur si sint capaces; non quod aliquid minùs recipiat is pro quo specialiter celebrat, neq; ratione infinitatis fructus: sed quia tunc diminuitur portio obueniēs sacerdoti celebranti, & illis applicatur; vnde quò pluribus hoc modo celebrans applicat partem fructus sacrificij in memento, eò minùs ipse recipit, Immò si totam suam portionem applicare velit (quod fieri posse *q. 2. d. 2.* dicitur) nihil ipsi obueniet, vt rectè *Nauarrus suprà*. Ex hoc autem non sequitur sacerdotem nominatis in memento vltra orationes quas pro eis fundit, semper applicare partem fructus ex opere operato, vt volunt aduersarij, sed tantùm cùm vult intentione speciali applicare, quod aliorum sententiæ non fauet, quia tunc omninò verum est quod ex pluralitate minuatur fructus in singulis.

29 *Quandoque tamen ex intentione, offertur sacrificium pro nominatis in memento, & celebrans applicat aliquid fructus sibi prouenientis.*

Dico secundò ex singulis sacrificijs ratione generalis intentionis quâ omnibus fidelibus applicātur exurgunt quidam gradus remissionis pœnę ex opere operato, qui multiplicati ex omnibus totius mundi sacrificijs, vnà cum fructu omnium orationum, bonorum operum, & eorumdem sacrificiorum specialiter omnibus fidelibus applicatorum, à Deo singulari suâ prouidentiâ ipsis fidelibus tam defunctis, quam viuis capacibus distribuuntur, eo modo quo collecta pro pauperibus vrbis facta illis prodest, non quòd singulæ eleēmosinæ singulis prosint; sed quòd omnes simul sumptæ singulis distribuuntur. quam similitudinem approbat *Sotus in 4. d. 45. q. 2. a. 4. conclus. 3.* & indicare videtur *D. Thomas ibidem a. 3.* cum fructum satisfactionis respondentem sacrificijs comparat solutioni. hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Probatur primò, modus hic distribuendi videtur diuinæ prouidentiæ, & rationi conformior, nec alio meliori mo-

30 *Fructus generalis sacrificiorū vnà cum aliis omnibus distribuitur fidelibus à Deo.*

 do

do potest fructus hic applicari. Secundò fructus ex omnibus bonis operibus, orationibus & sacrificijs, per intentionem specialem, & mediam omnibus fidelibus applicatus hoc modo distribuitur in omnes fideles, ergò illi adiungendus est fructus omnibus fidelibus proueniens ex generali intentione in sacrificijs, qui eodem modo vnà distribuatur. Confirmatur, fructus hic est remissionis pœnæ ex opere operato, qui ex iustitiâ debet habere effectum, & applicari illis quibus prouenit si sint capaces: sed omnes fideles iusti, & omnes animæ purgatorij sunt capaces, ergò quantùm fieri potest debet illis omnibus applicari; cum igitur non possit melius omnibus applicari, quam hoc modo, dicendum est eum fructum dictâ

31 methodo distribui; vnde ex consequenti colligitur distinctio inter hunc fructum ex opere operato; & eum qui prouenit per modum impetrationis ex oratione pro omnibus fidelibus factâ, quia Deus non tenetur ex iustitiâ orationem exaudire, & effectum impetrationis omnibus fidelibus conferre, cum hoc pendeat ex solâ eius liberalitate, & voluntate, qui potest orationem factam pro omnibus exaudire pro his, vel illis solùm, vt rectè docet *Adrianus quodlib.* 8. *a.* 3. *in fine*; at verò fructus hic generalis de quo loquimur est ex opere operato, & conferri debet ex iustitiâ omnibus omninò qui sunt capaces, nec aliquibus solùm conferri potest cum aliorum exclusione; ex quo sequitur modo prædicto conferri debere.

Distinctio inter fructũ ex opere operato, & eum qui oritur per modum impetrationis ex orationibus.

32 Dices ex hoc sequi quod intendunt aduersarij ex multiplicatione fidelium singulos detrimentum pati in participatione huius fructus: hoc autem est incongruum, & occasio retrahendi quosdam à conuersione infidelium R. cùm communiter dicitur quod ex multiplicatione fidelium non fiat deterior conditio singulorum quoad participationem fructuum Ecclesiæ, intelligitur solùm de participatione ortâ ex vnione charitatis, quâ fideles tanquam eiusdem corporis membra participant in omnibus bonis operibus aliorum, de quò dubio sequenti: hæc autem participatio non includit vllam satisfactionem pro pœnâ, sed solùm quasdam benedictiones quæ accidunt fidelibus ob merita aliorum; & hæc ex multiplicatione fidelium nõ minuitur, vt dicetur, & rectè *Adrianus suprà litt. D. & F.* qui addit quod satisfactio pro pœnâ semper minuitur ex pluralitate participantium, vnde cum illo existimo fructum hunc generalem remissionis pœnæ ex opere operato ortum ex sacrificiis diminui ex multiplicatione fidelium quantùm scilicet est ex eâ parte, nec hoc videri mirum, cum idem accidat in fructu omnibus fidelibus proueniente ex intentione mediâ, vt dictum est, nec vnum est magis absurdum, quam aliud. Hæc tamen diminutio satis aliunde compensatur, per hoc quod ex multiplicatione fidelium

Fructus ortus ex radice charitatis non minuitur ob multitudinem, secus de satisfactione, quæ tamen diminutio aliundè compẽsatur.

lium multiplicantur etiam in Eccleſiâ bona opera, orationes, & ſacrificia, ex quibus omnibus tam ratione ſoliùs vnionis charitatis, quàm ratione generalis, & ſpecialis applicationis proueniunt fidelibus maiores fructus, qui compenſare videntur diminutionem prędictam ortam ex multiplicatione fidelium.

DVBIVM TERTIVM.

An ad participandum ex hoc fructu requiratur ſtatus gratiæ?

DIctum eſt fideles ratione intentionis generalis quâ ſacrificia pro Eccleſiâ offerantur recipere fructum aliquem ex opere operato ſatisfactionis, meriti, & impetrationis: quæritur modò an ad recipiendos hos fructus, vel ſaltem aliquos requiratur ſtatus gratiæ, pro quo

Nota corpus miſticum Eccleſiæ rectè comparari corpori humano, hoc ſenſu, quia ſicut corpus humanum viuit duplici vitâ, ſenſitiuâ, & rationali; cum enim eſt adhuc minùs perfectum exiſtens ſub formâ embrionis viuit ſolâ animâ ſenſitiuâ, cum verò magis perficitur incipit viuere animâ rationa'i per infuſionem animæ: ita in corpore miſtico Eccleſiæ membra duplici vitâ poſſunt viuere, vitâ ſcilicet fidei, & charitatis: vita fidei eſt prima, & minùs perfecta, quæ comparatur animæ ſenſitiuæ in embrione: vita verò charitatis comparatur animæ rationali, quia eſt vita perfectiſſima iuſtorum infuſa animæ. hinc patet fideles peccatores licet priuati ſint charitate, eo ipſo quo retinent fidem, & exercent opera externa fidei, remanere membra Eccleſiæ, licet minùs perfecta, & eo ipſo participant de influentijs corporis, ſed minùs perfectè quam membra charitate informata. Quod vlterius ſimilitudine eiuſdem corporis oſtendi poteſt: ſicut enim ſolùm caput in corpore humano habet functiones, & officia animæ rationalis, alia verò membra ſolas functiones animæ ſenſitiuæ, ita fideles peccatores exercent functiones fidei, iuſti autem actiones, & officia charitatis, ſicque ſunt ad modum capitis humani, in quo ſolo anima rationalis ſuas functiones exercet. Hoc poſito 33 *Sicut corpus humanum viuit vitâ ſenſitiuâ, & rationali ita corpus Eccleſiæ vitâ fidei & charitatis.*

Dico primò, fructus ſatisfactionis ex opere operato ortus ex intentione generali ſuprà dictâ prouenit ſolis fidelibus iuſtis, non peccatoribus. Eſt communis, & probabitur *hoc lib. diſp. 5. q. 1.* vbi dicetur exiſtentem in mortali 34 *Fideles peccatores non participant*

tali

in fructu satisfactionis ex generali intentione.

tali non esse capacem remissionis pœnę temporalis. Vnde non placet opinio *Nauarri l. de oratione c. 19. n. 74.* vbi dicit existentem in mortali modo nō sit excommunicatus participare in cōmunibus Ecclesiæ orationibus quoad effectum satisfactionis, vel quia fructus reuiuiscat accedente gratiâ, vel quia manente peccato mortali condonetur pœna aliis peccatis remissis debita. Quod fusiùs reijcietur loco citato, & quæst. ibidem sequenti.

Tam peccatores quàm iusti participant in gratijs præuenientibus.

35 Dico secundò, gratiæ præuenientes respondentes eidem intentioni generali ex opere operato applicantur fidelibus indifferenter iustis & peccatoribus. Est item communis, contrà *nostrum Petrum qui tom. 2. de religioso q. 3. c. 6 §. 6.* docet existentem in mortali, licet non sit excommunicatus, non esse participē alicuius boni quod fit in Ecclesiâ, quia, inquit, cum sit membrum præcisum à corpore, non potest recipere influentiam ab animâ. Contra quem probatur conclusio primò, existens in mortali manet membrum corporis Ecclesiæ (vt iam dictum est) ideoque tanquam membrum, licet minùs perfectum participat in influentijs communicatis toti corpori : hæc enim est differentia inter fidelē excommunicatum, & existentes in mortali, quod excommunicatus sit tanquam membrum præcisum quod non communicat in influentiis corporis; peccator verò est velut membrum morbidum, & minùs perfectum, adhuc tamen vnitum corpori, & vt tale participat adhuc in bonis corporis quorum est capax.

Probatur secundò, fideles intentione hâc generali intendunt fideles omnes reddere participes fructus secundùm eorum capacitatem: sed peccator est capax gratiarum præuenientium, & maximè illis indiget vt conuertatur, ergò in illis communicat vnà cum iustis.

Tertiò, cum per intentionem mediam applicatur sacrificium peccatori, recipit fructum gratiarū præuenientium, ergò & cùm per intentionem generalem.

Iam dicta in vtrâque conclusione insinuat Cathechismus Pij V. in nonum symboli articulum his verbis: *membra verò mortua, nimirum homines sceleribus restricti, & à Dei gratiâ alienati hoc quidem bono non priuantur vt huius corporis membra esse desinant, sed cùm sint mortua fructum spiritualem qui ad iustos, & pios homines peruenit, non percipiunt* (nimirum fructum satisfactionis de quo conclusione primâ) *tametsi cum in Ecclesiâ sint, admissam gratiam, vitamq; recuperandam ab ijs adiuuantur qui spiritu viuunt, & eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest qui omninò ab Ecclesiâ sunt præcisi*, Et hic fructus est gratiarum præuenientium, & impetrationis de quo conclusione sequenti. Vocat autem catechismus fideles peccatores membra mortua, quæ nos morbida vocamus, quia adhuc viuunt vitâ fidei, si non charitatis.

Dico

Dico tertiò fideles peccatores participant etiam in fructu impetrationis orto ex intentione prædictâ generali, siue impetratio sit bonorum spiritualium, siue temporalium, de quo fructu pluribus locis infrà. 36

DVBIVM QVARTVM.

An fideles recipiant fructum aliquem ex omnibus sacrificijs, & alijs bonis operibus ex solâ radice charitatis, & quis ille sit?

HActenùs dictum est de fructu generalissimo sacrificij Missæ orto ex intentione generali, quia verò suprà dictum est fructum generalissimum vltrà prædictum comprehendere etiam alium ortum ex radice charitatis, aliquid etiam de illo dicendum, ad perfectam cognitionem fructus generalissimi, præcipuè cùm respondeat æquè sacrificijs, & suffragijs, ac alijs bonis operibus, & eius explicatio ad plura infrà dicenda necessaria sit. Hoc autem dubium in duos paragraphos diuidetur; sit igitur

§. I.

An detur talis fructus?

Fideles participant in bonis aliorũ ex radice charitatis.

REspondeo & dico, fideles recipere fructum aliquẽ ex omnibus bonis operibus aliorum, proindeque etiam ex sacrificijs, & suffragijs, ex radice charitatis, quâ fideles inter se vniuntur, ita vt bonum vnius prosit omnibus, licet illud non dirigat in aliorũ vtilitatem per expressam intentionem. Ita D. *Tho in 4. d. 45. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. & 2.* vbi assignat duplicem modum participandi de fructu aliorum, scilicet ex intentione facientis, & ex radice charitatis. & *eâdem dist. q. 2. a. 4. quæstiunc. 1. & 2.* docet suffragia citrà intentionem valere omnibus ex virtute charitatis, quæ facit omnia communia. item *in 4. ad Annibaldum eâdem dist. 45. q. vnicâ a. 2. ad 3. & opusculo 6. c. 13. & alibi Richard. eâdem d. 45. a. 1. q. 2. & 3. Adrian. quodlib.* 8. *a. 3. Conar. c. Alma mater p. 1 §. 5. n. 5. & §. 6. n. 1 Sot. eâdem dist. 45. q. 2. art. 2. Aragon. 22 q. 85. a. 3. & alij communiter*, qui volunt conclusionem esse ita 37

certam

certam, ac nonum symboli articulum, *communionem Sanctorum*, & docent hanc communionem in hoc maximè consistere, quod bona vnius prosint omnibus ex charitate. probatur primò ex Scripturâ *Psal. 118. particeps ego sum omnium timentium te.* quem locum *D. Thomas suprà. Bellarmin. & Lorinus in eundem locum, & alij* sic explicant. *1. Ioannis 1. vt & vos societatem habeatis nobiscùm, & societas nostra sit cum Patre, & Filio eius Iesu Christo.* idem docet *Catechismus Pij V. in nonum symboli articulum*, his verbis: *quæcumque enim piè, sanctèque ab vno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, & vt illis prosint charitate qua non quærit quæ sua sunt efficitur.* Probatur ex PP. Ambrosio in prædictũ locum *Psal. 118. Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis: sic coniunctum omnibus timentibus Deum.* Augustino *tract. 32. in Ioannem: Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es.* & paulò infrà: *si amas vnitatem etiam tibi habet, quisquis in illâ habet aliquid: tolle inuidiam, & tuum est quod habeo: tolle inuidiam, & meum est quod habes. Liuor separat, charitas iungit. oculus solus videt in corpore, sed nunquid sibi soli oculus videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt: non enim si aliquis ictus in pedem veniat auertit se oculus inde, vt non præcaueat.* Hæc ille. Ex his duas rationes colligere licet.

Bonũ vnius membri cedit in vtilitatem totius corporis.

38 Probatur igitur ratione primò, sicut in vno corpore operationes, & bonum vnius membri sunt in bonũ totius corporis, & eo ipsò quò sunt membra eiusdem corporis absque vlteriori ordinatione, ratione solius nexus quo inter se vniuntur, quicquid operatur vnum, cedit in bonum commune totius: ita fideles eo ipsò quò sunt membra corporis mystici Ecclesiæ, absque vlteriori reflexione, & intentione (saltem expressâ) quicquid boni operantur non cedit in solam operantium vtilitatem, sed in bonum omnium, qui ex eo participant tanquam membra eiusdem corporis; quæ quia inter se vnita sunt per charitatem, ideò charitas quæ non quærit quæ sua sunt, sed facit omnia communia, illis hoc communicat. quod optimè docet *D. Thom. citato opusc. 6.* his verbis: *sicut in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesiâ. & quia omnes fideles sunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur. Apostolus Rom. 12. singuli autem alter alterius membra.* & in fine capitis: *qui in charitate viuit particeps est omnis boni quod fit in toto mundo.* & vt ostendat se loqui de participatione citrà expressam intentionem, de quâ hic est sermo, subiungit: *sed tamen specialiùs illi pro quibus specialiter fit aliquod bonum.*

Est quædam societas spiritualis inter fideles.

39 Probatur secundò ratione desumptâ ex citatis verbis *1. Ioannis 1.* inter fideles est quædam societas bonorum spiritualium; sicut autem in contractu societatis mercatores inter se conueniunt, vt omne lucrum in commune diuidatur, & quisque partem suam recipiat; ita videtur esse

contractus

contractus quidam implicitus inter fideles quoad bona spiritualia (sicut Actor. 2. dicuntur initio Ecclesiæ fuisse in bonis tẽporalibus omnia communia,) virtute cuius societatis lucrũ, & fructus vnius cedit in vtilitatem aliorum, vt patet loco citato ***1. Ioan. 1. vt & vos societatem habeatis nobiscum.*** de quâ societate spirituali loquitur ***Adrianus suprà litt. c.*** vbi loquens de modo quo bona opera vnius prosunt alijs ratione charitatis, sic ait: ***sicut cùm inter aliquos est contracta societas omnium bonorum, quicquid vnus lucratur, omnibus est commune: sic in proposito spiritualiter, quia charitas est spiritualis amicitia & societas connectens membra Ecclesiæ,*** hæc ille.

§. II.

Quis sit in particulari hic fructus?

40 PRima sententia est, bona vnius ex radice charitatis prodesse alijs fidelibus viuis quoad collationem variarum gratiarum; defunctis verò quoad interiorem quandam consolationem, quâ afficiuntur animæ gaudentes de bonis, & subleuatione pœnæ aliarum. ita *D. Thom. suprà q. 2. a. 4.* ***quæstiuncula 1. his verbis: suffragia valent vno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia; & secundùm hoc verùm est, quod magis valent ei qui magis charitate est plenus, quamuis pro eo specialiter non fiant: & sic valor suffragiorum attenditur magis secundùm quandam interiorem consolationem, secundùm quam vnus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantùm ad diminutionem pœnæ; post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augmentum, ad quod valent nobis in vitá opera aliorum, ex virtute charitatis.*** & ibidem q. 1. a. 1. quæstiunculâ 1. & 2.

D. Thomas docet bona opera prodesse defunctis quoad gaudium ex radice charitatis, & viuis quoad gratiam.

41 Secunda sententia est defunctos recipere quidem gaudium prędictum, quoad viuos verò, illis solis aliorũ bona opera prodesse quoad idem gaudium, quibus innotescunt, tunc enim ratione charitatis gaudent de bonis commembrorum suorum: *ita Richardus in 4. d. 45. a. 2. q. 2. in corpore, & ad 1.* qui addit fructum alterum, scilicet, Deum sæpius ob merita iustorum parcere alijs, vt Genesis 18. & sic bona opera fidelium prosunt alijs ad hoc, quia Deus eos à peccato, morte, & alijs malis præseruat, & bonis afficit, vt etiam docet ***Adrianus suprà litt. F. Cordub. l. 1. q. 3. Aragon. 2. 2. q. 85. art. 3. §. quarto est aduertendum. Sotus d. 45. q. 2, art. 4.*** Alij verò docent quidem fidelibus prouenire fructum aliquem ex bonis operibus aliorum ex radice charitatis, sed non specificant quis ille sit, vt Couarruuias suprà &c. pro resolutione.

Alij volunt viuis & defunctis prodesse quoad solũ gaudiũ.

42 Dico primò bona opera vnius non prosunt alijs ex solâ radice charitatis quoad gratias præuenientes, vel vt loquitur D. Thomas suprà, ad acquisitionem gratiæ, vel eius augmentum. ita auctores secundæ sententiæ qui inter alios fructus hunc non assignant. Probatur primò, communicatio mutua fidelium in bonis operibus ex solâ radice charitatis sufficienter explicatur, assignando fructus alios eis communes, vt in defunctis ipsemet D. Thomas suprà assignat gaudium, ergò gratis assignatur hic fructus gratiarum præuenientium. Secundò, ratio huius fructus oritur ex similitudine corporis, in quo fructum quem recipit vnum membrum ex alio assignat Apostolus 1. Corinth. 12. *si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*, ergò in fructu aliquo simili erit hæc communicatio fidelium inter se. Tertiò, non est fundamentum sufficiens asserendi ex bono opere singulos fideles recipere gratias aliquas præuenientes, cum opera nostra non sint tantæ virtutis, vt vltrà fructum quem operans recipit, & is cui specialiter applicantur, omnes fideles recipiant gratias præuenientes, citrà specialem intentionem operantis, ex solà radice charitatis.

Fideles ex bonis operibus aliorum non recipiūt gratias præuenientes ex solâ radice charitatis.

43 Fatendum tamen est Deum sæpiùs conferre varias gratias fidelibus ratione bonorum operum, & sanctitatis aliorum, quia cùm Deus (vt conclusione quartâ dicetur) soleat intuitu bonorum operum quorundam benedicere alijs, & à peccato, & alijs malis præseruare; ex consequenti conferre debet illis varias gratias, quibus ea consequi possint; & sic intellecta sententia. D. Thomæ non est reijcienda.

44 Dico secundò bona opera fidelium ex solâ radice charitatis prosunt defunctis, non quidem ad veram satisfactionem, sed quandam consolationem interiorem & gaudium spirituale, quo ex bono quod vni animæ prouenit per pœnarum abbreuiationem, delectantur, & gaudent omnes tanquam de bono proprio, ratione mutuæ charitatis. *ita D. Thomas Richard. Sot. suprà, & alij communiter* & probatur 1. *Cor.* 12. *si gloriatur vnum membrum congaudent omnia membra.* & subdit Apostolus: *vos autem estis corpus Christi, & membra de membro* Item ex Catechismo Pij V in 9. symboli articulum: *omnia membra tam apta inter se, & connexa sunt, vt si vnum benè affectum est, communis sit ille iucunditatis sensus.* Ex quibus locis hæc ratio desumitur: sicut in corpore bonum vnius membri communicatur omnibus, ita vt remedium aliquod adhibitum malo vnius membri reddat totum corpus magis viuidum: ita in corpore mystico Ecclesiæ bonū vnius animæ purgatorij communicatur omnibus, quia cùm ex sacrificijs, & alijs suffragijs viuorum dimittitur pars pœnæ vni animæ, ex singulari Dei prouidentiâ omnibus inno-

Opera bona ex radice charitatis prosunt defunctis ad gaudium.

innotescit, & ex eo gaudent, & delectantur ratione mutuæ charitatis quâ bonum proximi æstimant suum; & hoc modo dicuntur singuli participare in bonis aliorum ex radice charitatis.

An autem alijs animabus virtute illius gaudij abbreuientur pœnæ purgatorij, dicetur infrà suo loco.

Dico tertiò, bona opera fideliũ non tantùm prosunt defunctis quoad prædictum gaudium, sed & ipsis viuentibus existentibus in charitate, ijs saltem quibus opera illa innotescunt; immò iusti gaudent de omnibus bonis quæ fiunt quotidie per totam Ecclesiam. *Ita Ricar. suprà* &c. probatur eodẽ modo quo præcedens conclusio: fideles enim viui sunt magis membra Ecclesiæ, ideoque gaudent de bonis aliorum; & gaudium illud suo modo mitigat pœnas, & ærumnas huius vitæ, eo modo quo infrà dicetur idem gaudium mitigare pœnas purgatorij in animabus. nec hoc accidit solis viuis, & animabus purgatorij; sed & existentibus in cœlo, qui cùm sint adhuc suo modo membra Ecclesiæ, gaudent etiam de bono nostro. hinc Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*; immò vt innuit *D. Thomas suprà q. 1. a. 1. quæstiunculâ 1. Ricbar. item suprà* Beati de mutuâ felicitate ita gaudent, vt inde dicantur recipere gloriam aliquam accidentalem, quæ est ipsum gaudium. 45 *Prosunt etiã viuentibus ad prædictũ gaudium.*

Nota gaudium illud & delectationem in omnibus esse maiorem, vel minorem secũdùm quantitatem charitatis vniuscuiusque, vt expressè docet D. Thomas, cùm gaudium illud oriatur ex solâ charitate, quâ vnus gaudet de bonis alterius; ideò vbi erit maior charitas, ibi erit & maius gaudium, sicque maiori charitate præditi dicuntur hoc sensu magis cõmunicare in bonis aliorum. 46 *Quisq; participat in gaudio secũdùm quãtitatem charitatis.*

Dico quartò, bona opera vnius ex solâ radice charitatis prosunt etiam alijs fidelibus in hoc, quod ob bona opera iustorum, Deus soleat multa bona præstare alijs, præseruando illos à peccato, & tentationibus dæmonis, à morte, & alijs malis, & conferẽdo plurima bona, tam temporalia, quàm spiritualia, quæ communiter solet Deus largiri alijs ob bona opera amicorum. *ita Richar. Adrian. suprà litt. E. Cordub. l. 1. q. 3. § si queratur. & ex eo Aragon. item suprà § quarto est aduertendum.* hactenus bona alijs hoc modo communicata videntur includere varias gratias præuenientes, quibus Deus bona prædicta conferre, & mala auertere solet. Probatur conclusio, Gen. 18. Deus promittit Abrahæ se parciturum Sodomæ, & alijs vrbibus quas deleuit, si inuenti fuissent decem iusti: & c. 19. recordatus Abrahæ liberauit Loth de incendio. & quotidiana docet experientia quomodò Deus sæpissimè ob aliquos iustos parcat toti communitati: sic propter Abraham, 47 *Alij fructus cõmunicati fidelibus ex radice charitatis.*



Isaac, Iacob, & seruum suum Dauid plurima bona contulit, & mala auertit à populo Israël &c. sed de hoc fusiùs in libro propè diem edendo, de Participationibus, seu Communicatione bonorum operum Religionum. hoc solū hic annotandū quod docent Corduba, & Aragonius citati, quòd quantò sunt plures sancti, & plura bona opera in Ecclesiâ, tantò plura beneficia eorum intuitu Deus Ecclesiæ largitur; quibus adde, quòd quantò sunt plures viri sancti in aliquâ religione, & quò magis viget regularis obseruantia, eò plura bona Deus confert ijs qui participant in communione bonorum spiritualium illius ordinis, vt loco citato pleniùs dicetur.

DVBIVM QVINTVM.

Per quam intentionem fructus omnes prædicti applicantur fidelibus?

48  Ermo est de fructu sacrificiorum orto ex prędictâ generali intentione, de quo dubio 1. 2. & 3. & de fructu orto ex radice charitatis, de quo dubio 4. & quæritur, quæ intentio requiratur ad applicationem vtriusque huius fructus.

Intentio habitualis sumitur quandoque pro virtuali.

Scotus quodlib. 20. *a.* 1. docet fructum hunc generalē prodesse toti Ecclesiæ ex intentione habituali, quâ orans vult omnes includere. Quem modum loquendi secuti sunt *Adrianus quodlib.* 8. *a.* 3. *Aragon.* 22. *q.* 85. *a.* 3. §. *quarto est aduertendum. Corduba. l.* 1. *q.* 2. *initio. Bellarm. l.* 2. *de Missâ c.* 4. *Suarez* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 77. *sect.* 3. *Fraxinel. lib. de obligation. sacerd. sect.* 3. *prænot.* 3. qui omnes docent fideles intentione habituali reddere omnes participes suorum bonorum operum. Quid autem velint prædicti Doctores per hanc intentionem habitualem, satis indicant, cùm in eodem contextu eandem virtualem vocāt, vt Corduba, Aragonius, Fraxinellus, & ex verbis Adriani satis colligitur. Quòd autem intentio habitualis quandoque pro virtuali sumatur patet ex *D. Thomâ* 3. *p. q.* 64. *a.* 8. *ad.* 3. *& in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunculâ* 1 *ad* 3. quo modo eum interpretantur Caietanus in eum locum tertiæ partis, Corduba suprà, & alij communiter. pro quo

49 Nota in materiâ sacramentorum intentionem habitualem propriè esse illam, quæ vel orta est ex frequentatione actuum, vel sic priùs quidem habita est, vt nullo modo influat in actionem externam, nec per se, nec per aliquem effectum, aut virtutem à se relictam. Virtualis est ea quæ licet non

non sit actu, per virtutem tamen à se relictam influit in actionem externam, vt cùm sacerdos cum intentione actuali accedit ad altare, & distractus celebrat. Interpretatiua verò est illa quæ voluntaria tantũ est in causâ, vt si sacerdos se inebriet sciens eo tempore quo ebrius est se proferre verba consecrationis super materiâ; & ex his omnibus sola secunda est sufficiens. In applicãdo verò fructu sacrificiorum, & aliorum bonorũ operum, aliter loquendum est de his intentionibus; nam si modò actu applicem Ioanni fructum Missæ cràs dicendæ, licet eâ de re non cogitem ampliùs, applicatio suum effectum sortitur; idque dicitur fieri per intentionem virtualem, quæ tamen in materiâ administrationis sacramentorum diceretur tantùm habitualis, & insufficiens; non enim opus est in applicatione fructus, quod intentio virtualis verè attingat, & influat in actionem externam, sicut in administratione sacramentorum; sed sufficit quod intentio, & applicatio hæc dicatur moraliter perseuerare quamdiu non est retractata: & hæc est ratio cur Doctores citati intentionem virtualem vocant habitualem. Si autem quęras, cur in administratione sacramen- 50
torum intentio virtualis, & sufficiens debeat verè virtute influere in actionem externam sacramenti, potiùs quàm intentio virtualis applicatiua fructus? Respondeo rationem esse, quia intentio conficiendi sacramentum debet esse voluntas operatiua ipsius sacramenti, ideoque ad minùs virtualiter debet illud attingere; intentio verò applicatiua fructus nõ concurrit ad confectionem sacrificij, sed solùm fructum eius applicat, quæ applicatio vsque ad reuocationem dicitur moraliter perseuerare, & effectũ consequi. Quoad intentionem verò interpretatiuam in hâc nostrâ mate- 51
riâ est etiam sufficiens, & dici potest consistere in hoc, quòd fideles suscipiendo Baptismum, & incorporando se Ecclesiæ, censentur etiam suscipere obligationes ab Ecclesiâ iniunctas, inter quas sunt, vt orationes communes, sicut horæ Canonicæ, Pater noster &c. fiant pro totâ Ecclesiâ; cùm igitur omnes sint in eâ voluntate, & dispositione, vt velint se in illis, sicut & alijs conformare ordinationi, & intentioni Ecclesiæ, dicuntur intentione interpretatiuâ id velle. & idem est de Religiosis qui per professionem sicut bona, ita & onera Religionis in se suscipiunt, & eâ ratione intentione interpretatiuâ dicuntur quandoque applicare benefactoribus quædam opera bona, quæ superiores ipsimet subditis inscijs quandoque applicant, vt fusiùs lib. de Participationibus Religiosorum dicetur. Et hæc intentio interpretatiua dici etiam potest voluntaria in causâ, sicut prior, vt patet. hoc posito.

Alia est explicatio intentionum in materiâ sacramentorum, alia in applicatione fructus sacrificij.

Dico primò, fructus generalis sacrificiorum, de quo dubio 1. 2. 52

cundo

Quidam fructus generalis applicatur fidelibus per intentionem actualem, alius per virtualem, & interpretatiuam.

& 3. applicatur fidelibus per intentionem actualem, vt patet ex vtraque oblatione Panis, & Calicis, in quibus sacrificia actu pro omnibus fidelibus offeruntur; cùm igitur celebrans, actu intendat offerre sacrificium pro fidelibus, actu etiam videtur intendere applicare illis partem fructus. At verò fructus prouenieins fidelibus ex orationibus publicis, vt lectione horarum canonicarum &c. quando non adest actualis intentio, communicatur fidelibus ex intentione virtuali, aut interpretatiuâ, modo prædicto.

53 Dico secundò, fructus generalis ortus ex radice charitatis, de quo dubio quarto prouenit quidem fidelibus ratione intentionis cuiusdam interpretatiuæ, vt dictum est de orationibus communibus, præcipuè fructus de quo conclusione quartâ; sed licet illa deesset non desineret fructus ille communicari, nec aliqua intentio ad id necessaria est, sed hoc oritur ex naturâ rei, quia (vt rectè inquit Aragonius suprà;) bonum vnius membri communicatur alijs naturaliter, hoc enim à naturâ oritur, quòd bonum vnius membri communicetur alijs; ideoque eò ipso quò quis membrum Ecclesiæ se fecit, reddit alios participes bonorum suorum spiritualium, ita vt licet vellet aliquem excludere, non posset, cum hoc non pendeat à speciali eius voluntate, sed ex naturâ rei.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Fructu specialissimo sacrificij Missæ.

Dictum est fructum specialissimum in Missæ sacrificio, sicut & alijs bonis operibus esse illum, qui prouenit operanti vt sic; & comprehendere maximè meritum gratiæ, & gloriæ respondens cuilibet operi bono; de quo nihil hic dicendum est, cùm constet illum semper solius esse operantis. Vltrà hunc autem fructum sacerdos etiam celebrans pro alio, recipit portionem suam de fructu sacrificij ex opere operato, quæ, fructus specialissimus etiam appellatur, de quo hic agendum est. Sit igitur

DVBIVM

DVBIVM PRIMVM.

An sacerdoti pro alio celebranti proueniat fructus aliquis ex opere operato?

Dico primò, Sacerdos pro alio celebrans recipit partem fructus sacrificij ex opere operato, qui vocari solet à pluribus, fructus specialis ex opere operato. Ita *Nauar. in manual. c. 25. n. 111. Henriq. l. 9. c. 18. Valent. tom. 4. disputat. 6. q. 11. p. 1. §. 25. Suarez tom. 3. disp. 79. sect. 8. & 9. Vasques disp. 231. cap. 3. &c.* Probatur primò, non est putandum sacerdotem pro alio celebrantem intendere se spoliare omni fructu sacrificij ex opere operato, sed aliquid sibi reseruare. quod confirmatur ex figurâ veteris testamenti: cùm enim populus deferebat sacerdoti animalia in sacrificium Domino, vna ex partibus melioribus erat sacerdotis in sustentationẽ: quo figuratiuè significabatur sacerdotẽ nouæ Legis offerentem hostiam incruentam pro fidelibus, sibi reseruare portionem aliquam notabilem fructus. 1

Sacerdos celebrans pro alio recipit partẽ fructus ex opere operato.

Probatur secundò, *ad Hebræos 5. omnis Pontifex debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* quibus verbis constat sacerdotem offerentem sacrificium pro alio, offerre etiam pro seipso, quia ipse, sicut alij, indiget fructu sacrificij; cùm igitur is pro quo offertur recipiat fructum ex opere operato, recipiet etiam ipse sacerdos.

Maior autem est difficultas in assignando in particulari quænam sit hęc pars fructus ex opere operato proueniens sacerdoti. *Henriquez l. 9. cap. 18. numer. 5.* docet fructum prouenientem ex ministerio sacerdotis prout induit personam Christi, Ecclesiæ, & priuatam, diuidi quoad satisfactionem æquali portione inter sacerdotem, & eum pro quo celebrat. *Nauarrus* suprà non assignat quidem in particulari quis sit hic fructus, dicit tamen totum fructum sacrificij diuidi in aliquot portiones, & vnam sacerdoti prouenire; quem sequitur *Valentia* suprà. *Suarez* item suprà docet duplicem fructum prouenire sacerdoti celebranti: vnum quatenus induit personam Christi, & sic applicatur ei pro quo celebrat: alterum quatenus induit personam priuatam, & hunc dicit esse fructum specialissimum qui manet sacerdotis. 2

Dico igitur secundò, probabile est fructum specialissimum ex opere 3

Ad rationes in contrarium Respondeo, ad primam, disparitatem esse inter hunc fructum, & effectum Baptismi, quia effectus omnes Baptismi dantur in ordine ad spiritualem regenerationem, quæ conuenire non potest nisi Baptisato, sicque fructum illum nulli alteri applicare potest, quia sicut solus regeneratur, ita solus recipit effectus regenerationis. In sacrificio Missæ autem non est quid simile, proindeque potest fructus hic alteri applicari. Ad confirmationem patet responsio.

Ad secundum, est etiam dispar ratio, quia satisfactio quatenus est sacramentalis, ordinatur ad remissionem pœnæ ex peccatis confessis remanentis, proindeque non potest quis eam ordinationem immutare, & alteri applicare. Deinde satisfactio est pars saltem integralis sacramenti Pœnitentiæ; cùm igitur totum sacramentum naturâ suâ ordinetur ad remissionem culpæ, & pœnæ pœnitentis, satisfactio quæ est pars illius, necessariò etiam ad id ordinari debet. In sacrificio autem Missæ nil est simile, sed fructus, de quo loquimur, reseruatur celebranti, ne priuetur omni suo fructu: si igitur voluntariè se velit eo priuare, cur non posset?

Ad tertium, nil est etiam simile, quia Indulgentiæ dependent totaliter quoad applicationem ex voluntate Pontificis concedentis. Vnde si illas concedat eâ conditione vt quis possit applicare alteri, poterit si velit; si verò eâ conditione vt soli operanti proficiant, non potest alteri applicare: non sic in fructu prædicto sacrificij, vt patet.

Sacerdos nō potest applicare fructum hunc speciālē in satisfactionem pro obligationē Missæ.

7 Quæres, si verum est sacerdotem posse fructum ex opere operato specialiter sibi prouenientem alteri pro libitu applicare: an vnicâ Missâ possit satisfacere duobus stipendijs, applicando vni fructum medium qui communiter applicatur, & alteri fructum hunc specialem sibi proprium? Respondeo nullo modo licere; primò, quia fructus hic nullus est, cùm sacerdos est in mortali, vt infrà, ideoque fructus huic applicatus esset incertus, & sæpè nullus, cùm tamen fructum aliquem certum applicare teneatur. Secundò ignota est quantitas huius fructus, quem puto maiorem fructu medio, vt infrà. Denique qui dato stipēdio rogat Missam, intendit sibi applicari fructum medium qui communiter applicatur ei pro quo offertur sacrificium, & sacerdos recipiens eleēmosynam, tacitè ad id se obligat; ideoque licet applicaret fructum hunc specialem duorum sacrificiorum, non satisfaceret obligationi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De Fructu speciali seu medio sacrificij Missæ.



Ructus specialis, seu medius sacrificij Missæ, & aliorum bonorum operum est ille qui ex particulari intentione sacerdotis, aut alterius applicatur alijs, ita vt sicut fructus hic dicitur medius, quia mediat inter generalissimum, & specialissimum; ita dicitur specialis, quia per intentionem specialem applicandus est alteri. Quandò autem, & quibus prosit, item quoad quos effectus, & qualiter, sicut & plura alia, toto ferè hoc libro dicetur, vnde nil modò specialiter dicendum manet.

DISPVTATIO II.

De fructu sacrificij Missæ, quatenus est propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.

QVÆSTIO PRIMA.

Quis sit Fructus sacrificij, quatenus est propitiatorium.

DVBIVM PRIMVM.

An sacrificium Missæ remittat peccata?



Onclusio affirmatiua definita est in Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. his verbis: *docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si vero corde, & rectâ fide cum metu, ac reuerentiâ contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Huius quippe ob-*

certam, ac nonum symboli articulum, *communionem Sanctorum*, & docent hanc communionem in hoc maximè consistere, quod bona vnius prosint omnibus ex charitate. probatur primò ex Scripturâ *Psal.* 118. *particeps ego sum omnium timentium te.* quem locum *D. Thomas suprà. Bellarmin. & Lorinus in eundem locum, & alij* sic explicant. 1. *Ioannis* 1. *vt & vos societatem habeatis nobiscùm, & societas nostra sit cum Patre, & Filio eius Iesu Christo.* idem docet *Catechismus Pij V. in nonum symboli articulum*, his verbis: *quæcumque enim piè, sanctèque ab vno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, & vt illis prosint charitate quæ non quærit quæ sua sunt efficitur.* Probatur ex PP. Ambrosio in prædictũ locum *Psal.* 118. *Sicut membrum participes esse dicimus totius corporis: sic coniunctum omnibus timentibus Deum.* Augustino *tract.* 32. *in Ioannem: Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es.* & paulò infrà: *si amas vnitatem etiam tibi habet, quisquis in illâ habet aliquid: tolle inuidiam, & tuum est quod habeo: tolle inuidiam, & meum est quod habes. Liuor separat, charitas iungit. oculus solus videt in corpore, sed nunquid sibi soli oculus videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt: non enim si aliquis ictus in pedem veniat auertit se oculus inde, vt non præcaueat.* Hæc ille. Ex his duas rationes colligere licet.

38 *Bonũ vnius membri cedit in vtilitatem totius corporis.* Probatur igitur ratione primò, sicut in vno corpore operationes, & bonum vnius membri sunt in bonũ totius corporis, & eo ipsô quò sunt membra eiusdem corporis absque vlteriori ordinatione, ratione solius nexus quo inter se vniuntur, quicquid operatur vnum, cedit in bonum commune totius: ita fideles eo ipsô quò sunt membra corporis mystici Ecclesiæ, absque vlteriori reflexione, & intentione (saltem expressâ) quicquid boni operantur non cedit in solam operantium vtilitatem, sed in bonum omnium, qui ex eo participant tanquam membra eiusdem corporis; quæ quia inter se vnita sunt per charitatem, ideò charitas quæ non quærit quæ sua sunt, sed facit omnia communia, illis hoc communicat. quod optimè docet *D. Thom. citato opusc.* 6. his verbis: *sicut in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesiâ. & quia omnes fideles sunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur. Apostolus Rom.* 12. *singuli autem alter alterius membra.* & in fine capitis: *qui in charitate viuit particeps est omnis boni quod fit in toto mundo.* & vt ostendat se loqui de participatione citrà expressam intentionem, de quâ hic est sermo, subiungit: *sed tamen specialiùs illi pro quibus specialiùs fit aliquod bonum.*

39 *Est quædam societas spiritualis inter fideles.* Probatur secundò ratione desumptâ ex citatis verbis 1. *Ioannis* 1. inter fideles est quædam societas bonorum spiritualium; sicut autem in contractu societatis mercatores inter se conueniunt, vt omne lucrum in commune diuidatur, & quisque partem suam recipiat; ita videtur esse

contractus

contractus quidam implicitus inter fideles quoad bona spiritualia (sicut Actor. 2. dicuntur initio Ecclesiæ fuisse in bonis tēporalibus omnia communia,) virtute cuius societatis lucrū, & fructus vnius cedit in vtilitatem aliorum, vt patet loco citato 1. *Ioan.* 1. *vt & vos societatem habeatis nobiscum.* de quâ societate spirituali loquitur *Adrianus suprà litt.* c. vbi loquens de modo quo bona opera vnius prosunt alijs ratione charitatis, sic ait: *sicut cùm inter aliquos est contracta societas omnium bonorum, quicquid vnus lucratur, omnibus est commune: sic in proposito spiritualiter, quia charitas est spiritualis amicitia & societas connectens membra Ecclesiæ*, hæc ille.

§. II.

Quis sit in particulari hic fructus?

PRima sententia est, bona vnius ex radice charitatis prodesse alijs fidelibus viuis quoad collationem variarum gratiarum; defunctis verò quoad interiorem quandam consolationem, quâ afficiuntur animæ gaudentes de bonis, & subleuatione pœnæ aliarum. ita *D. Thom. suprà q.* 2. *a.* 4. *quæstiuncula* 1. *his verbis: suffragia valent vno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia; & secundùm hoc verùm est, quod magis valent ei qui magis charitate est plenus, quamuis pro eo specialiter non fiant: & sic valor suffragiorum attenditur magis secundùm quandam interiorem consolationem, secundùm quam vnus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantùm ad diminutionem pœnæ; post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augmentum, ad quod valent nobis in vitâ opera aliorum, ex virtute charitatis.* & ibidem q. 1. a. 1. quæstiunculâ 1. & 2. 40

D. Thomas docet bona opera prodesse defunctis quoad gaudium ex radice charitatis, & viuis quoad gratiam.

Secunda sententia est defunctos recipere quidem gaudium prædictum, quoad viuos verò, illis solis aliorū bona opera prodesse quoad idem gaudium, quibus innotescunt, tunc enim ratione charitatis gaudent de bonis commembrorum suorum: *ita Richardus in* 4. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. *in corpore, & ad* 1. qui addit fructum alterum, scilicet, Deum sæpius ob merita iustorum parcere alijs, vt Genesis 18. & sic bona opera fidelium prosunt alijs ad hoc, quia Deus eos à peccato, morte, & alijs malis præseruat, & bonis afficit, vt etiam docet *Adrianus suprà litt. F. Cordub. l.* 1. *q.* 3. *Aragon.* 2. 2. *q,* 85. *art.* 3. *§. quarto est aduertendum. Sotus d.* 45. *q.* 2, *art.* 4. Alij verò docent quidem fidelibus prouenire fructum aliquem ex bonis operibus aliorum ex radice charitatis, sed non specificant quis ille sit, vt Couarruuias suprà &c. pro resolutione. 41

Alij volunt viuis & defunctis prodesse quoad solū gaudiū.

42 Dico primò bona opera vnius non prosunt alijs ex solâ radice charitatis quoad gratias præuenientes, vel vt loquitur D. Thomas suprà, ad acquisitionem gratiæ, vel eius augmentum. ita auctores secundæ sententiæ qui inter alios fructus hunc non assignant. Probatur primò, communicatio mutua fidelium in bonis operibus ex solâ radice charitatis sufficienter explicatur, assignando fructus alios eis communes, vt in defunctis ipsemet D. Thomas suprà assignat gaudium, ergò gratis assignatur hic fructus gratiarum præuenientium. Secundò, ratio huius fructus oritur ex similitudine corporis, in quo fructum quem recipit vnum membrum ex alio assignat Apostolus 1. Corinth. 12. *si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*, ergò in fructu aliquo simili erit hæc communicatio fidelium inter se. Tertiò, non est fundamentum sufficiens asserendi ex bono opere singulos fideles recipere gratias aliquas præuenientes, cum opera nostra non sint tantæ virtutis, vt vltrà fructum quem operans recipit, & is cui specialiter applicantur, omnes fideles recipiant gratias præuenientes, citrà specialem intentionem operantis, ex solâ radice charitatis.

Fideles ex bonis operibus aliorum non recipiũt gratias præuenientes ex solâ radice charitatis.

43 Fatendum tamen est Deum sæpiùs conferre varias gratias fidelibus ratione bonorum operum, & sanctitatis aliorum, quia cùm Deus (vt conclusione quartâ dicetur) soleat intuitu bonorum operum quorundam benedicere alijs, & à peccato, & alijs malis præseruare; ex consequenti conferre debet illis varias gratias, quibus ea consequi possint; & sic intellecta sententia D. Thomæ non est reijcienda.

44 Dico secundò bona opera fidelium ex solâ radice charitatis prosunt defunctis, non quidem ad veram satisfactionem, sed quandam consolationem interiorem & gaudium spirituale, quo ex bono quod vni animæ prouenit per pœnarum abbreuiationem, delectantur, & gaudent omnes tanquam de bono proprio, ratione mutuæ charitatis. *ita D. Thomas Richard. Sot. suprà, & alij communiter* & probatur 1. *Cor.* 12. *si gloriatur vnum membrum congaudent omnia membra.* & subdit Apostolus: *vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Item ex Catechismo Pij V in 9. symboli articulum: *omnia membra tam apta inter se, & connexa sunt, vt si vnum benè affectum est, communis sit ille iucunditatis sensus.* Ex quibus locis hæc ratio desumitur: sicut in corpore bonum vnius membri communicatur omnibus, ita vt remedium aliquod adhibitum malo vnius membri reddat totum corpus magis viuidum: ita in corpore mystico Ecclesiæ bonũ vnius animæ purgatorij communicatur omnibus, quia cùm ex sacrificijs, & alijs suffragijs viuorum dimittitur pars pœnæ vni animæ, ex singulari Dei prouidentiâ omnibus inno-

Opera bona ex radice charitatis prosunt defunctis ad gaudium.

innotescit, & ex eo gaudent, & delectantur ratione mutuæ charitatis quâ bonum proximi æstimant suum; & hoc modo dicuntur singuli participare in bonis aliorum ex radice charitatis.

An autem alijs animabus virtute illius gaudij abbreuientur pœnæ purgatorij, dicetur infrà suo loco.

Dico tertiò, bona opera fideliũ non tantùm prosunt defunctis quoad prædictum gaudium, sed & ipsis viuentibus existentibus in charitate, ijs saltem quibus opera illa innotescunt; immò iusti gaudent de omnibus bonis quæ fiunt quotidie per totum Ecclesiam. *Ita Ricar. suprà* &c. probatur eodẽ modo quo præcedens conclusio: fideles enim viui sunt magis membra Ecclesiæ, ideoque gaudent de bonis aliorum; & gaudium illud suo modo mitigat pœnas, & ærumnas huius vitæ, eo modo quo infrà dicetur idem gaudium mitigare pœnas purgatorij in animabus. nec hoc accidit solis viuis, & animabus purgatorij; sed & existentibus in cœlo, qui cùm sint adhuc suo modo membra Ecclesiæ, gaudent etiam de bono nostro. hinc Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*; immò vt innuit *D. Thomas suprà q. 1. a. 1. quæstiunculâ 1. Richar. item suprà* Beati de mutuâ felicitate ita gaudent, vt inde dicantur recipere gloriam aliquam accidentalem, quæ est ipsum gaudium. 45 *Prosunt etiã viuentibus ad prædictũ gaudium.*

Nota gaudium illud & delectationem in omnibus esse maiorem, vel minorem secũdùm quantitatem charitatis vniuscuiusque, vt expressè docet D. Thomas, cùm gaudium illud oriatur ex solâ charitate, quâ vnus gaudet de bonis alterius; ideò vbi erit maior charitas, ibi erit & maius gaudium, sicque maiori charitate præditi dicuntur hoc sensu magis communicare in bonis aliorum. 46 *Quisque participat in gaudio secũdùm quãtitatem charitatis.*

Dico quartò, bona opera vnius ex solâ radice charitatis prosunt etiam alijs fidelibus in hoc, quod ob bona opera iustorum, Deus soleat multa bona præstare alijs, præseruando illos à peccato, & tentationibus dæmonis, à morte, & alijs malis, & conferẽdo plurima bona, tam temporalia, quàm spiritualia, quæ communiter solet Deus largiri alijs ob bona opera amicorum. *ita Richar. Adrian. suprà litt. E. Cordub. l. 1. q. 3. § si queratur. & ex eo Aragon. item suprà § quarto est aduertendum.* hæc autem bona alijs hoc modo communicata videntur includere varias gratias præuenientes, quibus Deus bona prædicta conferre, & mala auertere solet. Probatur conclusio, Gen. 18. Deus promittit Abrahæ se parciturum Sodomæ, & alijs vrbibus quas deleuit, si inuenti fuissent decem iusti & c. 19. recordatus Abrahæ liberauit Loth de incendio. & quotidiana docet experientia quomodò Deus sæpissimè ob aliquos iustos parcat toti communitati: sic propter Abraham, 47 *Alij fructus cõmunicati fidelibus ex radice charitatis.*

 Isaac,

Isaac, Iacob, & seruum suum Dauid plurima bona contulit, & mala auertit à populo Israël &c. sed de hoc fusiùs in libro propè diem edendo, de Participationibus, seu Communicatione bonorum operum Religionum. hoc solũ hic annotandũ quod docent Corduba, & Aragonius citati, quòd quantò sunt plures sancti, & plura bona opera in Ecclesiâ, tantò plura beneficia eorum intuitu Deus Ecclesiæ largitur; quibus adde, quòd quantò sunt plures viri sancti in aliquâ religione, & quò magis viget regularis obseruantia, eò plura bona Deus confert ijs qui participant in communione bonorum spiritualium illius ordinis, vt loco citato pleniùs dicetur.

DVBIVM QVINTVM.

Per quam intentionem fructus omnes prædicti applicantur fidelibus?

48 Ermo est de fructu sacrificiorum orto ex prædictâ generali intentione, de quo dubio 1. 2. & 3. & de fructu orto ex radice charitatis, de quo dubio 4. & quæritur, quæ intentio requiratur ad applicationem vtriusque huius fructus.

Intentio habitualis sumitur quandoque pro virtuali.

Scotus quodlib. 20. *a.* 1. docet fructum hunc generalẽ prodesse toti Ecclesiæ ex intentione habituali, quâ orans vult omnes includere. Quem modum loquendi secuti sunt *Adrianus quodlib.* 8. *a.* 3. *Aragon.* 22. *q.* 85. *a.* 3. §. *quarto est aduertendum. Corduba. l.* 1. *q.* 3. *initio. Bellarm. l.* 2. *de Missâ c.* 4. *Suarez* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 77. *sect.* 3. *Fraxinel. lib. de obligation. sacerd. sect.* 3. *prænot.* 3. qui omnes docent fideles intentione habituali reddere omnes participes suorum bonorum operum. Quid autem velint prædicti Doctores per hanc intentionem habitualem, satis indicant, cùm in eodem contextu eandem virtualem vocãt, vt Corduba, Aragonius, Fraxinellus, & ex verbis Adriani satis colligitur. Quòd autem intentio habitualis quandoque pro virtuali sumatur patet ex *D. Thomâ* 3. *p. q.* 64. *a.* 8. *ad.* 3. *& in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunculâ* 1 *ad* 3. quo modo eum interpretantur Caietanus in eum locum tertiæ partis, Corduba suprà, & alij communiter. pro quo

49 Nota in materiâ sacramentorum intentionem habitualem propriè esse illam, quæ vel orta est ex frequentatione actuum, vel sic priùs quidem habita est, vt nullo modo influat in actionem externam, nec per se, nec per aliquem effectum, aut virtutem à se relictam. Virtualis est ea quæ licet non

non sit actu, per virtutem tamen à se relictam influit in actionem externam, vt cùm sacerdos cum intentione actuali accedit ad altare, & distractus celebrat. Interpretatiua verò est illa quæ voluntaria tantū est in causâ, vt si sacerdos se inebriet sciens eo tempore quo ebrius est se proferre verba consecrationis super materiâ; & ex his omnibus sola secunda est sufficiens. In applicãdo verò fructu sacrificiorum, & aliorum bonorū operum, aliter loquendum est de his intentionibus; nam si modò actu applicem Ioanni fructum Missæ cràs dicendæ, licet eâ de re non cogitem ampliùs, applicatio suum effectum sortitur; idque dicitur fieri per intentionem virtualem, quæ tamen in materiâ administrationis sacramentorum diceretur tantùm habitualis, & insufficiens; non enim opus est in applicatione fructus, quod intentio virtualis verè attingat, & influat in actionem externam, sicut in administratione sacramentorum; sed sufficit quod intentio, & applicatio hæc dicatur moraliter perseuerare quamdiu non est retractata: & hæc est ratio cur Doctores citati intentionem virtualem vocant habitualem. Si autem quęras, cur in administratione sacramen- 50
torum intentio virtualis, & sufficiens debeat verè virtute influere in actionem externam sacramenti, potiùs quàm intentio virtualis applicatiua fructus? Respondeo rationem esse, quia intentio conficiendi sacramentum debet esse voluntas operatiua ipsius sacramenti, ideoque ad minùs virtualiter debet illud attingere; intentio verò applicatiua fructus nõ concurrit ad confectionem sacrificij, sed solùm fructum eius applicat, quæ applicatio vsque ad reuocationem dicitur moraliter perseuerare, & effectū consequi. Quoad intentionem verò interpretatiuam in hâc nostrâ mate- 51
riâ est etiam sufficiens, & dici potest consistere in hoc, quòd fideles suscipiendo Baptismum, & incorporando se Ecclesiæ, censentur etiam suscipere obligationes ab Ecclesiâ iniunctas, inter quas sunt, vt orationes communes, sicut horæ Canonicæ, Pater noster &c. fiant pro totâ Ecclesiâ; cùm igitur omnes sint in eâ voluntate, & dispositione, vt velint se in illis, sicut & alijs conformare ordinationi, & intentioni Ecclesiæ, dicuntur intentione interpretatiuâ id velle. & idem est de Religiosis qui per professionem sicut bona, ita & onera Religionis in se suscipiunt, & eâ ratione intentione interpretatiuâ dicuntur quandoque applicare benefactoribus quædam opera bona, quæ superiores ipsimet subditis inscijs quandoque applicant, vt fusiùs lib. de Participationibus Religiosorum dicetur. Et hæc intentio interpretatiua dici etiam potest voluntaria in caussâ, sicut prior, vt patet. hoc posito.

Alia est explicatio intentionum in materiâ sacramentorum, alia in applicatione fructus sacrificij.

Dico primò, fructus generalis sacrificiorum, de quo dubio 1. 2. 52
cundo

Quidam fructus generalis applicatur fidelibus per intentionem actualem, alius per virtualem, & interpretatiuam.

& 3. applicatur fidelibus per intentionem actualem, vt patet ex vtrâque oblatione Panis, & Calicis, in quibus sacrificia actu pro omnibus fidelibus offeruntur; cùm igitur celebrans, actu intendat offerre sacrificium pro fidelibus, actu etiam videtur intendere applicare illis partem fructus. At verò fructus prouenien's fidelibus ex orationibus publicis, vt lectione horarum canonicarum &c. quando non adest actualis intentio, communicatur fidelibus ex intentione virtuali, aut interpretatiuâ, modo prædicto.

53 Dico secundò, fructus generalis ortus ex radice charitatis, de quo dubio quarto prouenit quidem fidelibus ratione intentionis cuiusdam interpretatiuæ, vt dictum est de orationibus communibus, præcipuè fructus de quo conclusione quartâ; sed licet illa deesset non desineret fructus ille communicari, nec aliqua intentio ad id necessaria est, sed hoc oritur ex naturâ rei, quia (vt rectè inquit Aragonius suprà;) bonum vnius membri communicatur alijs naturaliter, hoc enim à naturâ oritur, quòd bonum vnius membri communicetur alijs; ideoque eò ipso quò quis membrum Ecclesiæ se fecit, reddit alios participes bonorum suorum spiritualium, ita vt licet vellet aliquem excludere, non posset, cum hoc non pendeat à speciali eius voluntate, sed ex naturâ rei.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Fructu specialissimo sacrificij Missæ.

DIctum est fructum specialissimum in Missæ sacrificio, sicut & alijs bonis operibus esse illum, qui prouenit operanti vt sic; & comprehendere maximè meritum gratiæ, & gloriæ respondens cuilibet operi bono; de quo nihil hic dicendum est, cùm constet illum semper solius esse operantis. Vltrà hunc autem fructum sacerdos etiam celebrans pro alio, recipit portionem suam de fructu sacrificij ex opere operato, quæ, fructus specialissimus etiam appellatur, de quo hic agendum est. Sit igitur

DVBIVM

DVBIVM PRIMVM.

An sacerdoti pro alio celebranti proueniat fructus aliquis ex opere operato?

1 Dico primò, Sacerdos pro alio celebrans recipit partem fructus sacrificij ex opere operato, qui vocari solet à pluribus, fructus specialis ex opere operato. Ita *Nauar. in manual. c. 25. n. 111. Henriq. l. 9. c. 18. Valent. tom. 4. disputat. 6. q. 11. p. 1. §. 25. Suarez tom. 3. disp. 79. sect. 8. & 9. Vasques disp. 231. cap. 3. &c.* Probatur primò, non est putandum sacerdotem pro alio celebrantem intendere se spoliare omni fructu sacrificij ex opere operato, sed aliquid sibi reseruare. quod confirmatur ex figurâ veteris testamenti: cùm enim populus deferebat sacerdoti animalia in sacrificium Domino, vna ex partibus melioribus erat sacerdotis in sustentationē: quo figuratiuè significabatur sacerdotē nouæ Legis offerentem hostiam incruentam pro fidelibus, sibi reseruare portionem aliquam notabilem fructus.

Sacerdos celebrans pro alio recipit partē fructus ex opere operato.

Probatur secundò, *ad Hebræos 5. omnis Pontifex debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* quibus verbis constat sacerdotem offerentem sacrificium pro alio, offerre etiam pro seipso, quia ipse, sicut alij, indiget fructu sacrificij; cùm igitur is pro quo offertur recipiat fructum ex opere operato, recipiet etiam ipse sacerdos.

Maior autem est difficultas in assignando in particulari quænam sit hęc pars fructus ex opere operato proueniens sacerdoti. 2 *Henriquez l. 9. cap. 18. numer. 5.* docet fructum prouenientem ex ministerio sacerdotis prout induit personam Christi, Ecclesiæ, & priuatam, diuidi quoad satisfactionem æquali portione inter sacerdotem, & eum pro quo celebrat. *Nauarrus* suprà non assignat quidem in particulari quis sit hic fructus, dicit tamen totum fructum sacrificij diuidi in aliquot portiones, & vnam sacerdoti prouenire; quem sequitur *Valentia* suprà. *Suarez* itęm suprà docet duplicem fructum prouenire sacerdoti celebranti: vnum quatenus induit personam Christi, & sic applicatur ei pro quo celebrat: alterum quatenus induit personam priuatam, & hunc dicit esse fructum specialissimum qui manet sacerdotis.

Dico igitur secundò, probabile est fructum specialissimum ex opere 3 operato

Sacerdos recipit fructũ respondentẽ personæ priuatæ. operato prouenientem sacerdoti pro alio celebranti, esse illum qui respondet ei vt priuatæ personæ; fructum verò correspondentẽ eidem sacerdoti vt personæ publicę, applicari ei pro quo celebrat, vt rectè Suarez citatus. Ratio est, quia sacerdos agens personam publicam constitutus est in bonum populi, & cùm pro alijs offert sacrificium, offert vt minister publicus; qui verò priuatam personam induit, sibi soli agere, & prodesse videtur. Deinde cùm sacerdos celebrat in mortali, exurgit fructus sacrificij respondens personæ publicæ, non priuatæ, nec prodest ipsi celebranti, sed tantùm alijs quibus applicat sacrificium; ergò signum est, fructum applicatum alijs, respondere personæ publicæ; applicatum autem sibi, personæ priuatæ.

DVBIVM SECVNDVM.

An sacerdos fructum specialissimum sibi ex sacrificijs prouenientem possit vlteriori intentione alteri applicare?

4 *Quidam negant fructũ specialem ex opere operato posse alteri applicari.*



Rima sententia negat sacerdotem posse fructum prædictum alteri applicare. ita *Suarez suprà sect.* 9. licet contrarium etiam indicet probabile. *Fraxinellus l. de sacerd. obligat. sect.* 3. *pranot.* 3. qui pro se citat etiam *Mirandam in manu Prælat. tom. q.* 41. *art.* 17. Citari etiam solet *Scotus quodlib.* 20 *a.* 1 *& Gabr. lect.* 26. sed si benè intelligantur, solùm loquuntur de fructu ex opere operantis, & maximè de merito gratiæ, & gloriæ. Probatur primò, remissio totius pœnæ ex opere operato quę datur in Baptismo, ita est ipsius baptisati, vt nullo modo possit in alium transferre, & se illo priuare; ergò nec potest quis fructum specialissimum sacrificij ex opere operato alteri communicare. Confirmatur, quia vterque hic fructus est personalis, & in fauorem talis personæ collatus, qui proinde in illo manere debet.

Secundò, non solùm effectus Baptismi est alteri inapplicabilis, sed etiam satisfactio sacramentalis, quæ in confessione imponitur; cur non igitur etiam effectus prædictus sacrificij, cùm videatur paritas, nec sit ratio illum excipiendi.

Tertiò *Diuus Thomas in* 4. *d.* 20. *a.* 5. *q.* 3. *ad* 2. docet eum qui lucratur indulgentiam aliquam, non posse alteri applicare, sed manere ipsius, nisi expressè in ipsâ indulgentiâ concedatur; ergò & effectus hic qui etiam in fauorem talis personæ conceditur.

Secundò

Secunda sententia affirmat fructum hunc pro libitu sacerdotis alteri applicari posse. cum quâ

5 Respondeo, & dico, fructum specialissimum ex opere operato prouenientem sacerdoti celebranti pro altero posse pro voluntate celebrantis alteri applicari. ita *Maior. in.4.d.45.q.2.a.4. Nauarr.c.25.n.92. & 111.* vbi dicit vel partem, vel totum quod ipsi prouenit posse applicare alteri, & addit se frequenter solere facere. *Ledesma 1.p.q.10.a.5. Henriquez l.9.c.18.n.3. & c.21.n.7. Azorius l.10.c.20. in fine. Nugnus 3.p.q 83.a.1.d.3.&c.* probatur primò, fructus hic specialissimus est eiusdem rationis cum fructu medio, & suprà de generalissimo dictum est: ergò sicut fructus medius qui communiter etiam prouenit celebranti, applicari potest alteri, poterit etiam specialissimus. Instabis, esse rationem diuersitatis, præcipuè in nostrâ sententiâ, quia dubio præcedenti dictum est, fructum medium respondere sacerdoti vt personæ publicæ; specialissimum verò vt priuatæ. Respondeo id non obstare, quia si persona priuata ieiunans, aut opus aliud bonum faciens, potest applicare satisfactionem operis alteri, poterit etiam sacerdos fructum sibi ex sacrificio prouenientem vt priuatæ personæ alteri applicare.

Alij melius affirmant.

Probatur secundò, sacerdos æquè recipit dominium huius fructus, ac aliorum: ergò, sicut tanquam dominus potest fructus alios pro voluntate transferre in alterũ, poterit & hunc. Et confirmatur ex eo quòd satisfactio pro pœnâ habeat quasi rationem bonorum temporalium, quæ alijs conferri possunt.

Tertiò, ratio cur sacerdos celebrans pro altero, reseruet sibi fructum aliquem, est, quia non videtur ita rationi consentaneum, vt licet pro altero celebret, priuetur omni suo fructu; si igitur ipse propriâ voluntate, & ex charitate in alterum velit se eo priuare, & alteri applicare, verè alteri applicabitur.

Dices id repugnare charitati erga seipsum quæ præponenda est ei quæ est erga alterum: cùm igitur præsumendum sit sacerdotem eo fructu personali indigere, non poterit alteri applicare. Respondeo, non esse contrà charitatem erga seipsum, fructum hunc applicare alteri, cùm inde non minuatur aliquis gradus sanctitatis, applicatur enim solùm fructus satisfactionis, &c. Sacerdos igitur qui hoc modo fructum hunc applicat, intẽdit sibi prouideri posse aliunde quoad supplementum huius fructus: immò vt *disp. 4.q.3.d.4.* dicetur, talis ratione charitatis quâ fructum hunc applicat, recipit augmentum gratiæ habitualis, vnà cum aljjs fructibus ex opere operantis, qui actui isti charitatis respondent. 6

Applicatio hæc non repugnat charitati erga seipsum.

Ad rationes in contrarium Respondeo, ad primam, disparitatem esse inter hunc fructum, & effectum Baptismi, quia effectus omnes Baptismi dantur in ordine ad spiritualem regenerationem, quæ conuenire non potest nisi Baptisato, sicque fructum illum nulli alteri applicare potest, quia sicut solus regeneratur, ita solus recipit effectus regenerationis. In sacrificio Missæ autem non est quid simile, proindeque potest fructus hic alteri applicari. Ad confirmationem patet responsio.

Ad secundum, est etiam dispar ratio, quia satisfactio quatenùs est sacramentalis, ordinatur ad remissionem pœnæ ex peccatis confessis remanentis, proindeque non potest quis eam ordinationem immutare, & alteri applicare. Deinde satisfactio est pars saltem integralis sacramenti Pœnitentiæ; cùm igitur totum sacramentum naturâ suâ ordinetur ad remissionem culpę, & pœnæ pœnitentis, satisfactio quæ est pars illius, necessariò etiam ad id ordinari debet. In sacrificio autem Missæ nil est simile, sed fructus, de quo loquimur, reseruatur celebranti, ne priuetur omni suo fructu: si igitur voluntariè se velit eo priuare, cur non posset?

Ad tertium, nil est etiam simile, quia Indulgentiæ dependent totaliter quoad applicationem ex voluntate Pontificis concedentis. Vnde si illas concedat eâ conditione vt quis possit applicare alteri, poterit si velit; si verò eâ conditione vt soli operanti proficiant, non potest alteri applicare: non sic in fructu prædicto sacrificij, vt patet.

Sacerdos nõ potest applicare fructum hunc specialẽ in satisfactionem pro obligationẽ Missæ.

7 Quæres, si verum est sacerdotem posse fructum ex opere operato specialiter sibi prouenientem alteri pro libitu applicare: an vnicâ Missâ possit satisfacere duobus stipendijs, applicando vni fructum medium qui communiter applicatur, & alteri fructum hunc specialem sibi proprium? Respondeo nullo modo licere; primò, quia fructus hic nullus est, cùm sacerdos est in mortali, vt infrà, ideoque fructus huic applicatus esset incertus, & sæpè nullus, cùm tamen fructum aliquem certum applicare teneatur. Secundò ignota est quantitas huius fructus, quem puto maiorem fructu medio, vt infrà. Denique qui dato stipẽdio rogat Missam, intendit sibi applicari fructum medium qui communiter applicatur ei pro quo offertur sacrificium, & sacerdos recipiens eleëmosynam, tacitè ad id se obligat; ideoque licet applicaret fructum hunc specialem duorum sacrificiorum, non satisfaceret obligationi.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De Fructu speciali seu medio sacrificij Missæ.

FRuctus specialis, seu medius sacrificij Missæ, & aliorum bonorum operum est ille qui ex particulari intentione sacerdotis, aut alterius applicatur alijs, ita vt sicut fructus hic dicitur medius, quia mediat inter generalissimum, & specialissimum; ita dicitur specialis, quia per intentionem specialem applicandus est alteri. Quando autem, & quibus prosit, item quoad quos effectus, & qualiter, sicut & plura alia, toto ferè hoc libro dicetur, vnde nil modò specialiter dicendum manet.

DISPVTATIO II.

De fructu sacrificij Missæ, quatenus est propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.

QVÆSTIO PRIMA.

Quis sit Fructus sacrificij, quatenus est propitiatorium.

DVBIVM PRIMVM.

An sacrificium Missæ remittat peccata?

COnclusio affirmatiua definita est in Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. his verbis: ***docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si vero corde, & rectâ fide cum metu, ac reuerentiâ contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Huius quippe ob-***

latione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. & paulò post: *quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offertur, &c.* item eâdem sessione can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Idipsum colligi potest ex Scripturâ, 1. Corinth. 11. & Luc. 22. *hic est sanguis qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* quæ verba non solùm de effusione cruentâ in arâ crucis, sed etiam de mysticâ in sacrificio Missæ intelligenda sunt, vt interpretantur Patres, & patet ex verbis sequentibus: *Hoc facite in meam commemorationem,* id est, effundite etiam meum sanguinem in sacrificio Missæ in remissionem peccatorum: cùm igitur sanguis Christi in vltimâ cœnâ effusus sit in remissionem peccatorum, & iubeamur idem facere, hoc est, effundere etiam mysticè in remissionem peccatorum, rectè sequitur sacrificium Missæ verè offerri pro peccatis. & de hâc effusione mysticâ prædicta verba explicat *Augustinus sermon. 4. de Innocentibus: rectè sub altari iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur, nec immeritò illic iusti vindictam sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus sanguis effunditur.*

Quoad rationes, nulla naturalis afferri potest, cùm tota materia huius sacrificij, & omnium sacramentorum in solâ Christi voluntate, & institutione fundetur.

Posito autem quòd hoc sacrificium remittat peccata, quæritur qualiter id fiat; dupliciter enim id fieri potest: primò remittendo immediatè peccata mortalia, & infundendo primam gratiam, eo modo quo baptismus, & pœnitentia. Secundò solùm mediatè, causando scilicet pium motum, quo peccator ad pœnitentiam, & contritionem excitatur, & gratiam iustificantem remissis peccatis consequitur. de quo sit

DVBIVM

DVBIVM SECVNDVM.

Quomodo remittantur peccata per sacrificium Missæ, an immediatè instar sacramentorum, vel mediatè?

NOta sacramenta alia esse viuorum, vt Eucharistia, alia mortuorum, vt pœnitentia; quæ in hoc differunt, quod pœnitentia tanquam sacramentum mortuorum faciat ex attrito, etiam cognito tali, contritum, & ad hoc instituta sit; Eucharistia verò, velut sacramentum viuorum quandoque solùm faciat ex attrito contritum, quando scilicet accedens putat inuincibiliter se esse in gratiâ, & solùm est attritus. Quæritur igitur an vno ex his duobus modis sacrificium remittat peccata, & conferat gratiam; an verò id solùm præstet causando pium motum, quo excitamur ad contritionem. 3

Prima sententia esse potest, sacrificium Missæ ad instar sacramentorum quandoque remittere immediatè peccata, & conferre gratiam iustificantem, faciendo ex attrito contritum; quando scilicet offertur pro attrito qui bene est dispositus ad effectum sacrificij recipiendum. Huic sententiæ multùm fauere videtur *Catharinus opusculo de sacrificio Missæ. Gabriel lect.* 57. quidam idem tribuunt *D. Thomæ in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* cuius contrarium infrà ostendetur. Probari potest primò, ex Tridentino citato, dicente per sacrificium Deum crimina, & ingentia peccata dimittere. Item ex formâ sanguinis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* eodem modo loquuntur Pontifices, & alij Patres, cùm de sacrificio loquuntur, per illud scilicet Deum remittere plurima peccata; & offerri Deo in remissionem peccatorum. quæ omnia non possunt intelligi de solâ pœnâ peccatorum, vt rectè *Ruardus a. 16. & Canus de locis l. 12. c. 13. ad 9.* quia prædictus modus loquendi maius aliquid sonat; remissio enim pœnæ non dicitur absolutè remissio peccati, cùm tamē Tridētinum expressè dicat remitti crimina, & ingentia peccata. Restat igitur vt dicatur sacrificium remittere saltem in attritis peccata ad modum sacramentorum, & per consequens conferre gratiam iustificantem. Nec est quod dicas remittere peccata mediatè, conferendo pium motum, quo ad Pœnitentiam excitamur; hoc enim absolutè loquendo non est remittere peccata, quia vt sacrificium dicatur remittere peccata propriè loquendo, 4

Quidam volunt sacrificium sic remittere peccata, vt faciat ex attrito contritum.

requiritur

requiritur vt remissio peccati sit proprius effectus illius ex opere operato, eo modo quo in pœnitentiâ, & quandoque in Eucharistiâ; quod hîc non est, si solùm mediante pio motu id fiat, quia tunc effectus sacrificij est solus pius motus; remissio verò peccati erit effectus operis operantis respondens nostræ contritioni per pium illum motum causatæ, proindeque non erit effectus sacrificij.

Alij melius negant.

5 Secunda sententia est contraria, sacrificium Missæ numquam remittere immediatè peccata, nec conferre gratiam, faciendo ex attrito contritum, sed tantùm mediante pio motu quo ad pœnitentiam excitamur. ita communiter DD. Pro quo, Nota, sacerdoti offerenti sacrificium duplici capite remitti posse peccata, & conferri gratiam. Primò, quia offerendo sacrificium recipit etiam sacramentum, quod ex sui institutione confert gratiam habitualem, & quandoque remittit peccata faciendo ex attrito contritum. Secundò, quia offerendo sacrificium elicit pios actus, quibus coniungi potest contritio, sed hæc non tangunt nostram quæstionem, quâ quæritur an sacrificium ex sui institutione remittat immediatè peccata.

Sacrificium non remittit peccata immediatè.

6 Dico igitur primò, sacrificium Missæ non remittit immediatè peccata mortalia, nec confert primam gratiam, faciendo ex attrito contritum ad instar sacramentorum, est communis, & docet expressè *Diuus Thomas suprà*; licet à quibusdam citetur pro contrariâ sententiâ, vt dictum est: sic enim ait: ***Eucharistia non solùm est sacramentum, sed etiam est sacrificium; in quantùm autem est sacramentum, habet effectum in omni viuente, in quo requirit vitã praexistere; sed in quantum est sacrificium, habet effectum etiam in alijs pro quibus offertur, in quibus non praexigit vitam spiritalem in actu, sed in potentiâ tantùm, & ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiã obtinet, virtute illius veri sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*** Quibus vltimis verbis satis explicat se non velle in præcedenti sacrificium immediatè remittere peccata, sed solùm mediante contritione. Eodem modo loquitur Tridentinũ suprà. nam dicendo Deum per sacrificium dimittere crimina & ingentia peccata, ne putaretur fieri immediatè, addit modum, scilicet gratiam & donum pœnitentiæ concedens. quod immediatè etiam dixerat: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno: quo modo loquendi satis indicat sacrificium non nisi mediante sufficienti dispositione ad quam concurrit delere peccata.

7 Probatur ratione: primò, tota ratio & effectus sacramentorum & sacrificij pendent ex voluntate & institutione Christi, nec debemus aliquid temerè in ijs asserere, nisi vel ex Scripturâ, traditione Ecclesiæ, authoritate Patrum,

Patrum, & sufficientibus indicijs constet; nil autem simile reperitur ex quo colligamus Christum talem effectum sacrificio contulisse, vt ex solutione rationum contrariarum constabit; sed è contrà maxima est coniectura id non fecisse, nec ordinatæ eius prouidentiæ consentaneum est: primò, quia cùm sacrificium alteri applicetur per solam extrinsecam denominationẽ, absque eo quòd necessariò per proprium actum vllo modo concurrat, non fuit æquum & consentaneum, vt per illud peccata immediatè delerentur absque vllâ eius dispositione; in sacramentis verò reperitur aliqualis actus recipientis, quo vtcumque disponitur ad effectum illius recipiendum. Secundò, sacramenta ordinata sunt à Christo ad remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ; sacrificiũ verò principaliter offertur ad recognitionem excellẽtiæ diuinæ, remissionem pœnæ, &c. Tertiò, & principaliter, vel quia de fide est sacramentũ pœnitentiæ in re vel in voto esse medium necessarium ad salutem relapsis post baptismum; quod non esset, si sactificium immediatè remitteret peccata. Confirmatur, licet verum sit sacramentũ Eucharistiæ quandoque facere ex attrito contritum, manet tamen sacramentum pœnitentiæ esse medium necessarium relapsis, quia in eo casu Eucharistia includit votũ Pœnitentiæ, & remanet obligatio Confessionis, proindeque Eucharistia dicitur id caussare solùm per accidens, nec per se, & naturâ suâ ad hoc ordinata est: at verò si sacrificium immediatè dimitteret peccata, non præstaret solùm per accidens, vt Eucharistia, sed per se & naturali suâ institutione, cùm Concilia, & Patres doceant absolutè, & ex intentione offerri in remissionem peccatorum; si igitur sacrificium per se remittit peccata, non dicetur remittere dependenter à sacramento Pœnitentię, quia æquè per se remittet ac Pœnitentia, & illa sola sacramenta dicuntur remittere peccata dependenter à sacramento Pœnitentiæ, quæ per accidens solùm remittunt, sicque manet Pœnitentiam non fore medium necessarium relapsis; immò Deus instituisset duo media ad eundem effectum, scilicet Pœnitentiam, & sacrificium ad remissionem peccatorum, quod alienum est à diuinâ prouidentiâ, quæ omnia ordinatè constituit, nec ad eundem effectum causandum diuersa media adhibuit, vt patet ex ipsismet sacramentis, in quibus singula speciales effectus producunt. Sunt item multa absurda ex contrariâ sententiâ oriunda, quæ vide apud *Suarez disp. 79. sect. 5.*

8 Dico secundò, sacrificium Missæ remittit peccata, etiam mortalia mediatè, scilicet mediante pio motu quo ad contritionem excitamur, & peccata remittuntur. Sequitur ex dictis; si enim sacrificium remittit peccata, & non immediatè, ergò mediatè. Et hoc modo explicanda sunt omnia

Sacrificium Missæ remittit peccata mediatè.

 loca

loca quæ dicunt sacrificium remittere peccata. Remittuntur igitur peccata per sacrificium, quia cùm pro peccatore offertur, conferuntur illi gratiæ præuenientes tanquam effectus sacrificij, quibus si velit, gratiam, & remissionem peccatorum consequetur. Ad hoc verò quod dicit contraria sententia, non esse hoc remittere peccata, cùm remissio peccatorum non sit effectus sacrificij, sed contritionis; Respondeo negando assumptum, quia licet gratiæ præuenientes quibus peccator excitatur ad contritionem, sint effectus immediatus sacrificij, si tamen velit illis coöperari, dabitur ei auxilium concomitans cum quo eliciet contritionem, & remittentur peccata, idque in ordine semper ad sacrificium, & tãquam effectus illius mediatus. Quod satis indicat Tridentinum suprà, cùm dicit per sacrificium inueniri gratiam in auxilio oportuno; & concedi gratiam, & donum Pœnitentiæ. & *D. Thomas item suprà*, docens sacrificium impetrare gratiam contritionis. quibus verbis satis indicant effectum intentum per sacrificium non solùm esse gratias præuenientes, sed & ipsum auxilium concomitans, vnà cum contritione, & remissione peccatorum, quæ omnia licet peccator nõ semper consequatur, sunt tamen effectus sacrificij intenti à Christo in primâ institutione; cùm igitur remissio peccati intendatur tanquam effectus sacrificij, verè dici potest sacrificium remittere peccata, licet mediatè tantùm id fiat.

9 Ex dictis collige quid dicendum sit ad quæstionẽ quã quidam quęrunt an sacrificium conferat gratias efficaces. Respondetur enim gratias illas habere aliquid speciale suprà alias, quia ex speciali ordinatione, & institutione Christi dantur cum intentione producendi actum contritionis, quâ remittantur peccata tanquam effectus specialis per sacrificium intentus; absolutè tamen loquendo gratiæ præuenientes respondentes sacrificio non sunt nisi efficaces in actu primo; positâ autem nostrâ sententiâ, quâ putamus efficacitatem gratiæ radicaliter consistere in proposito diuino conuertendi dicendum est illas solas esse actu efficaces, quæ ex tali proposito efficaci conferuntur; & sic bonum est vt sacerdos celebrans pro peccatore roget Deum, quatenus tanquam effectum sacrificij, ei conferat gratias, quas nouit futuras actu efficaces; hic enim est peculiaris effectus respondens etiam nostræ orationi.

Quomodo sacrificium conferat gratias efficaces.

10 Quoad rationes prioris sententiæ, omnes fundantur super hoc, quod per sacrificium dicantur remitti peccata; quod intelligi potest dupliciter, primò, pro culpâ peccatorum, quæ remittitur mediatè, modo explicato: & sic loquitur Tridentinum suprà, cùm dicit Deum hoc sacrificio placatum, crimina, & ingentia peccata demittere. item cùm dicit offerri pro viuorum

Remissio peccati in sacrificio significat pec-

viuorum peccatis, pœnis, & satisfactionibus. Secundò per peccata intelligi potest pœna peccatorum; & sic sumitur 2. Machab. 12. *sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* hic autem est præcipuus effectus huius sacrificij; Christus enim instituit quædam sacramenta, quibus tanquam instrumentis ex principali institutione remitterentur peccata quoad culpam; & alia quibus principaliter conferretur augmentum gratiæ; decebat vt institueret etiam instrumentum aliquod, quo ex primariâ suâ institutione remitterentur pœnæ peccatis dimissis debitæ, idque tam viuis, quàm defunctis, qui maximè eâ re indigent; & in hunc finem Christus instituit sacrificium Missæ; ideoque effectus magis intentus in hoc sacrificio est remissio pœnæ peccatorum, & eatenùs dicitur remittere peccata. Quod vlteriùs patet ex eo quòd æquè principaliter sacrificium offeratur pro viuis, & defunctis, quibus ex consequenti debet principalis effectus sacrificij posse applicari, sed ad solam remissionem pœnæ prodesse potest defunctis: ergò hic est principalis eius effectus. *cata quoad culpam & pœnam.*

Sicut autem sacrificium dicitur remittere peccata in peccatoribus pro 11
quibus offertur, quia confert gratias præuenientes quibus contritionem, & remissionem peccatorũ, vnà cum infusione primæ gratiæ consequitur: ita in iustis dicitur augere gratiam etiam mediatè, quia confert easdem gratias, quibus iustus excitatur ad actus virtutum, per quos gratia habitualis augetur.

DVBIVM TERTIVM.

An effectus gratiarum præuenientium sit ex opere operato, vel impetrationis?

SVarez 3. p. tom. 3. disp. 79. sect. 3. concl. 4. docet sacrificium im- 12
petrare gratias præuenientes, & ijs mediantibus remissionem peccati, & infusionem gratiæ; ita vt omnes illi effectus sit conferantur per modum impetrationis vt non ex opere operato. *Coninck quæstion 83. d. 8. num. 137.* ait gratias præuenientes conferri ex opere operato. de impetratione non loquitur *Vasquez disputat. 228. cap. 3. n. 20.* vult sacrificium impetrare auxilium gratiæ. & *disp. 229. cap. 2. n. 12.* addit effectum hunc conferri ex opere operato; vnde patet quod ex mente ipsius conferatur ex opere operato, & per modum impetrationis, *Quidam volunt gratias præuenientes conferri per modum impetrationis, alij ex opere operato, alij ex vtroque.*

 & quod

& quod hæc duo eidem conuenire possint; deinde docet eundem effectum posse haberi per modum impetrationis, etiam fallibilis & ex opere operato. Pro resolutione

Gratia præuenientes conferuntur per modum impetrationis.

13 Dico primò, sacrificium Missæ ijs quibus applicatur confert varias gratias præuenientes per modum impetrationis. ita *Durand. in* 4. *d.* 12. *q.* 4. *Gabriel lect.* 26. *Cordub. l.* 1. *q.* 3. *Suarez, Vasquez & alij communiter*. Patet etiam ex *Tridentino sess.* 22. *cap.* 2. cùm dicit Deum hoc sacrificio placatum gratiam, & donum pœnitentiæ concedere. & *D. Thomâ in* 4. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. vbi dicit sacrificium in dispositis gratiam obtinere, & peccata mortalia delere, in quantum gratiam contritionis impetrat.

Conferuntur etiam ex opere operato.

14 Dico secundò, sacrificium confert gratias præuenientes non solùm per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato. Ita *Vasquez & Coninck suprà, &c.* Probatur primò, effectus hic gratiarum præuenientium non confertur tanquam debitus actioni ipsius sacerdotis, & ex opere operantis, sed est proprius effectus annexus ipsi sacrificio à Christo ex primâ sui institutione, qui voluit eum conferri independenter à merito offerentis. Secundò, sicut colligimus effectum remissionis pœnæ in hoc sacrificio esse ex opere operato, quia confertur virtute sacrificij tanquam aliquid ipsi annexum, independenter à bonitate sacerdotis offerentis; ita de gratijs præuenientibus dicendum est, cùm eodem modo conferantur. Confirmatur primò, Tridentinum suprà docet sacrificium offerri pro peccatis, & pœnis peccatorum: ergò ex mente Concilij non solùm remissio pœnæ confertur ex opere operato, sed etiam auxilium gratiæ quo remittuntur peccata, cùm vtrumque dicatur proprius effectus sacrificij. Confirmatur secundò, sicut ex mente Concilij, & Patrum sacrificium remittit per se peccata quoad pœnam, ita & quoad culpam, mediante scilicet auxilio gratiæ: ergò vtrumque est proprius illius effectus pendens ex institutione Christi, sicque ex opere operato.

15 Dices, repugnare eundem effectum esse per modum impetrationis, & ex opere operato, quia effectum conferri ex opere operato, est eum ratione promissionis diuinæ ita conferri, vt omni non ponenti obicem infallibiliter tribuatur tanquam debitus ratione promissionis, absque vlteriori causâ meritoriâ, aut impetratoriâ illius: sic enim gratiæ illæ præuenientes conferuntur in sacramentis, v. g. in Eucharistiâ; omnis enim recipiens Eucharistiam, eo solo quod non recipit indignè, consequitur gratias præuenientes. Vt autem effectus conferatur per modum impetrationis, exigit causam impetratoriam, cui tàquam proprius effectus respondeat, v. g. in hoc sacrificio gratiæ illæ sic sunt debitæ sacrificio, vt tamen

debeant

debeant à sacerdote impetrari. ergò repugnat eas conferri per modum impetrationis, & ex opere operato. Respondeo negando consequentiam, quia vt effectus hic impetrationis dicatur cōferri ex opere operato, sufficit quòd ex institutione, & ordinatione Christi conferatur, vt *q.* 3. dicetur. Quòd autem in hoc sacrificio ratio operis operati non excludat rationem impetrationis, est, quia sacrificium essentialiter est actus perfectissimus religionis, qui coniunctus orationi naturâ suâ est maximè impetratorius, & ad id ordinatur, ideoque non est mirum, quod effectus illi proprius, & ex primâ institutione applicatus, vltrà rationem operis operati quam habet, conferatur etiam per modum impetrationis.

16 Dico tertiò, probabilius est sacrificium conferre gratias præuenientes infallibiliter. Est contra *Durandum in* 4. *d.* 12. *q.* 4. *Cordubam l.* 1. *q.* 3. *Canum de locis l.* 12. *cap.* 13. *ad* 9. *Vasquez suprà n.* 21. id autem docet *Coninck suprà.* Probatur primò, quia aliàs saluari non possent testimonia Scripturæ, Tridentini, & Patrum, quibus absolutè dicitur sacrificium remittere peccata, scilicet mediatè, vt dictum est: quod idem est, ac conferre gratias præuenientes, quibus peccator possit consequi remissionē peccatorum si velit; & de eâ re loquuntur tanquā de vero, & proprio effectu sacrificij, proindeq; infallibili. Secundò, constat ex verbis formæ, *Luc.* 22. *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ verba, vt dictum est, intelliguntur de effusione etiam mysticâ in sacrificio Missæ, & ex quibus sic intellectis colligi potest Christum promisisse collationem huius effectus per hoc sacrificium, quod sufficit ad infallibilitatem illius. Tertiò, remissio pœnæ in hoc sacrificio est effectus infallibilis in subiecto capaci: ergò & collatio gratiarum præuenientium, ob similitudinem dictam.

Gratiæ præuenientes conferuntur infallibiliter.

17 Non obstat autem infallibilitati harum gratiarum, quòd sæpiùs non videmus emolumentum in eis pro quibus offertur sacrificium; & non experiamur eas conferri; quia ob pertinaciam, & obdurationem in peccato eorum pro quibus offertur, non experimur emolumentum, quod non impedit quò minùs gratiæ illæ conferantur, sed sine effectu. Deinde non possumus ita dignoscere collationem harum gratiarum, cùm non conferantur eodem tempore, quo sacrificium offertur, sed datâ occasione & tempore oportuno. Quod videtur intendere Tridentinum suprà, cùm dicit per sacrificium gratiā inueniri in auxilio oportuno. Fatēdum tamen est eas gratias quandoque reddi efficaces ratione orationis, & meriti sacerdotis applicantis; & tunc peculiaris hic effectus non est infallibilis, cùm pendeat ex liberalitate Dei, qui pro voluntate confert gratias futuras efficaces.

Remissio peccatorum, infusio gratiæ, aut eius augmentum sunt effectus mediati per modum impetrationis fallibilis.

18 Dico quartò, remissio peccati, & collatio primæ gratiæ in peccatore, vel eius augmentum in iusto, quæ sunt effectus mediati sacrificij, proindeque etiam gratia efficax, conferuntur per modum impetrationis fallibilis. Distinguimus enim collationem gratiarum præuenientium, à remissione peccatorum, & collatione gratiæ habitualis, eò quòd primum conferatur ex opere operato, & infallibiliter; secundum verò tantùm per modum impetrationis fallibilis. Ratio est, quia gratiæ præuenientes collatæ per sacrificium, non semper habent suum effectum, etiam in non ponentibus obicem: ergò habent solùm suum effectum per modum impetrationis fallibilis. Dico (per modum impetrationis) quia omnes illi effectus cùm respondent gratijs præuenientibus collatis per sacrificium, habent rationem effectus mediati sacrificij, scilicet per modum impetrationis, vt dictum est.

DVBIVM QVARTVM.

An per hoc sacrificium remittantur peccata venialia, & quomodò?

Quidam docent sacrificiũ remittere immediatè venialia.

19 Vorundam sententia est per hoc sacrificium remitti immediatè venialia illi pro quo offertur. Tribuitur communiter *Cano de locis l. 12. c. 13 ad 9. §. errant deinde.* sed si benè legatur, certè non videtur loqui de sacrificio vt oblato pro aliquo, sed vel de eo qui offert sacrificium, vel de eo qui sacrificium consummatum (vt vocat) recipit, id est, de communicante, de quo etiam paulò antè locutus fuerat, & hoc sensu verum est, quod dicit sacrificium consummatum in communione remittere venialia ex Theologorum, & veterũ Patrum testimonio; quod aliàs falsum esset. Præcipua autem ratio sententiam hanc affirmandi est, quòd sacramentalia, vt aqua benedicta, &c. dicantur remittere venialia quasi ex opere operato; absurdè autem tribueretur eâ in re maior vis his sacramentalibus, quàm sacrificio Missæ, quod tamen ex sui institutione dictum est esse propitiatorium pro peccatis. Puto ego aliter loquendum esse de ijs qui aliquo modo concurrunt ad sacrificium, aliter de ijs quibus absque aliquo eorum actu applicatur. vnde

Sacrificium non remittit venialia immediatè.

20 Dico primò, sacrificium Missæ non remittit immediatè venialia ijs pro quibus offertur, & nullo actu proprio ad illud concurrunt, est communis, & sic intelliguntur Doctores cùm dicunt sacrificium non remittere venialia.

lia. Probatur primò ex refutatione contrarij fundamenti: sacramentalia in nostrâ, & communi sententiâ non remittunt ex se venialia quasi ex opere operato, ergò nec sacrificium; immò minor est ratio in hoc sacrificio quâ sacramentalibus, non quòd sacrificium sit minùs perfectum, sed quia sacramentalia communiter recipiuntur cum pio affectu, quo quis aliquo modo disponitur ad remissionem venialiũ: sacrificium verò oblatum pro eo qui nullo actu ad illud cócurrit, supponit nullum esse actum, quo is disponatur ad remissionem venialium. Secundò, venialia in nostrâ sententiâ non remittuntur sine infusione gratiæ: ergò cùm sacrificium non conferat immediatè gratiam habitualem, non remittit etiam venialia immediatè. Tertiò, venialia non remittuntur per solam extrinsecam condonationem, sed eorum remissio exigit immutationem aliquam intrinsecam, cùm dicant quandam deordinationem in animâ; sed de his plura suo loco.

Dico secundò, sacrificium Missæ applicatum ijs qui nullo actu ad illud concurrunt, remittit venialia mediante pio motu qui eorum remissionem causat; ita vt, sicut dictum est, remissionem peccatorum mortalium esse verum effectum sacrificij, licet mediatum, quia cum ordine ad sacrificium remittuntur, ita de venialibus dicendum est, cum hâc tamen differentiâ quòd venialia multò faciliùs remittuntur, tùm quia homo supponitur in gratiâ, proindeque magis dispositus ad coöperationem gratiæ; tùm etiam, quia venialia sunt leuiora, quæ facilè, id est, per solam attritionem etiam virtualem remittuntur. 21 *Sed tantùm mediatè.*

Dico tertiò, sacrificium Missæ in ijs qui aliquo modo concurrunt illud offerendo, immediatè remittit venialia, non semper vt vult *Fraxinellus sect. 3 pranot.* 4. sed quandoque tantùm vt *Suarez disp. 79. sect. 5. in fine.* Ad quod requiritur quòd offerant pro se, & per intentionem formalem, aut ad minùs virtualem in remissionem peccatorum; tunc enim si sint in gratiâ, oblatio erit in remissionem venialium, saltem eorum, de quibus non habent virtualem complacentiam, & illorum remissionem consequentur immediatè, idque tum ex oblatione ipsâ sacrificij; tum etiam ob actualem dispositionem quæ in talibus offerentibus reperitur. hæc enim dispositio aliquo modo repugnat cum peccatis venialibus; nullus enim dicitur offerre sacrificium in remissionem suorum peccatorum, quin displicentiam aliquam illorum habeat, quæ vnà cum sacrificio sufficiens sit ad illorum remissionem; & licet actus offerẽtis ex se non sit sufficiens ad deletionem venialium, redditur tamen talis, & completur per sacrificium eo fine oblatum, quod sic venialia remittit; & putandum est Deum sacrificio in primâ institutione eam virtutem tribuisse taliter remittendi venialia. 22 *Immediatè remittit ijs qui concurrunt ad ipsũ sacrificium, sed tantùm quandoq; & quibusdam positis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An Missæ sacrificium conferat remissionē pœnæ ijs quibus applicatur ex opere operato.



Conueniunt Doctores sacrificium conferre remissionem pœnæ ex opere operato. hic enim est præcipuus eius fructus principaliter intentus in institutione: Christus enim instituit septem Sacramenta, & per aliqua principaliter remittuntur peccata, & confertur gratia; per alia augetur, & nutritur ipsa gratia, &c. Restabat vt instrumentum aliquod institueret, quo ex primaria institutione remitterentur pœnæ peccatorum, ad quod sacrificium hoc instituit, & valdè opportunè, quia cùm pœna peccatis debita possit remitti per extrinsecam condonationem absque interiori aliquâ immutatione hominis, conueniebat eam remitti per sacrificium, quod applicari etiam potest alteri, absque eo quod actu ad illud concurrat. Quod autem sacrificium sit remissiuum pœnæ, docet *Trident. sess. 22. cap. 2.* cùm ait, offerri pro fidelium pœnis, & satisfactionibus. quod repetit eâdem *sess. can. 3.*

Nota hanc remissionem pœnæ fieri per sacrificium immediatè, applicando scilicet satisfactiones Christi in solutionem. hoc enim modo Christus suas satisfactiones sacrificio coniunxit; vnde hic effectus differt à priori effectu remissionis peccatorum, qui fit solùm mediatè.

Quæri posset an effectus hic sit certus, & infallibilis, tam respectu mortuorum, quàm viuorum: sunt enim qui docent esse quidem certum in viuis qui sunt in gratiâ, non sic autem in defunctis; sed melius dicendum est esse omnino certum & infallibilem in viuis, & defunctis; de viuis nullus dubitat; de defunctis dicetur lib. 3. vbi pluribus id probabitur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

An sacrificium Missæ habeat aliquem effectum quoad impetrationem?

Sacrificium Missæ valet etiam plurimùm ad quælibet beneficia tam spiritualia, quàm temporalia impetranda; si enim quælibet oratio habet eam virtutem impetrandi plurima à Deo, multò magis tribuenda est ea virtus sacrificio Missæ, in quo ad maiorem effectum impetrationis non solùm Deo offertur Christus Dominus, sed ipse etiam cum sacerdotibus, & in illis se ipsum offert. vnde multi docent, quòd vna ex primis rationibus, cur Christus voluerit sacrificium in propriâ personâ, & suo nomine offerri, sit, vt tantæ personæ authoritate innixum, maiorem virtutem quoad effectum impetrationis haberet; hinc etiam accidit, quòd omnes orationes huic sacrificio coniunctæ, non solùm quæ ex præcepto Ecclesiæ per sacerdotem in Missâ recitantur, sed etiam quæ à populo assistente vnâ cum sacrificio Deo offeruntur, multò maiorem habeant efficaciam ad impetrandum. 1

Sacrificium impetrat multa beneficia spiritualia, & temporalia.

Quoad beneficia autem quæ impetrari possunt, sunt primò spiritualia; vt quòd Deus conferat alicui zelum conuersionis animarum, donum lacrimarum, &c. item auxilia quibus conuertatur. nam vltrà auxilia quæ, vt dictum est, conferuntur ex opere operato, potest etiam offerens intentione speciali impetrare vlterius speciale auxilium ad conuersionem; immò dictum est auxilia gratiæ, quibus quis actu conuertitur sæpè esse effectum huius specialis impetrationis. Secundò, impetrantur etiam varia beneficia temporalia; sic enim offertur sacrificium pro salute corporali, pro sedandâ peste, fame, bello, &c. Aduerte autem nos non impetrare temporalia hæc nudè secundùm se, sed quatenùs aliquo modo conducunt ad salutem animæ consequendam, quia ista omnia impetramus virtute meritorum Christi, quæ non applicantur nisi ad aliquid ordinatum ad salutem, cùm Christus alio fine non sit mortuus; hinc oritur nos sæpè non impetrare quod postulamus, quia Deus nouit illud obfuturum saluti. 2

Aduerte item ad impetranda quædam beneficia per sacrificium, requiri expressam intentionem offerentis, quia cùm sacrificiũ sit causa impetratiua quorundam beneficiorum, determinari debet per offerentem ad aliquod 3

plures sacerdotes offerunt plura sacrificia, sunt plures offerentes, plures oblationes, & plura sacrificia, seu idem iteratum: ita cùm plures coöfferunt sacerdoti, sunt plures suo modo offerentes, plures item oblationes personales, quæ simul sumptæ constituunt vnam totalem, quæ quò ex pluribus quasi partialibus constat, eò maioris est valoris, & proinde maior fructus illi respondet.; quia sicut oblatio vnius est independens ab oblatione alterius, ita fructus respondens oblationi vnius, non dependet à fructu oblationis alterius; sed sicut oblationes illæ omnes faciunt vnam totalem moraliter, constantem ex illis omnibus; ita fructus totalis illi respondens constat ex diuersis partialibus qui respondent singulis partialibus oblationibus; & licet in pluribus sacerdotibus offerentibus sit sacrificium iteratum, in nostro autem casu non iteretur, nil obstat, quia sicut idem sacrificium iteratum ratione suæ infinitatis confert eundem fructum, qui iteratione non minuitur; ita fructus respondens eidem sacrificio non iterato, sed à diuersis personis, & actionibus oblato, ratione eiusdem infinitatis non minuitur, cùm vtrobique sit Christus Dominus eadem hostia in se continens virtutem infinitam, quæ sicut oblata diuersis sacrificijs confert fructus distinctos; ita oblata eodem totali sacrificio à diuersis per actiones, & oblationes diuersas, diuersos etiam fructus confert, & vtrobique multiplicantur iuxta pluralitatem offerentium.

2 Probatur secundò, cùm Christus in cruce offerebat Deo Patri cruentum sacrificium, si plurimi cum eo homines illud obtulissent, tantum fructum singuli consecuti fuissent, ac si vnicus cum eo obtulisset, tum ratione infiniti pretij rei oblatę, tum etiã ratione pluralitatis oblationum, & offerentium, quorum vnus non dependisset ab alio, nec impedisset fructum alterius ita & in sacrificio Missę. cùm sit eadem hostia infinita, ex pluralitate offerentiũ non minuitur in singulis fructus, cùm oblatio vnius nõ sit dependens ab oblatione alterius, nec vna videatur posse officere alteri.

Tertiò, aliàs sequeretur quò plures ministrant sacrificio, singulos minorem fructum recipere, & vnum impedire fructum alterius. Item ex pluralitate assistentium minueretur in singulis fructus, quod non videtur rationi consonum.

Quartò denique afferri potest similitudo Baptismi, quam quidam
3 malè ad probandam infinitatem intensiuam adferunt: sicut enim si plures simul ab eodem sacerdote baptisentur, non desinit quisque totũ effectum Baptismi recipere, ac si diuisim baptisati essent, nec fructus vnius impedit fructum alterius: ita ex eo quod plures idem sacrificium offerant non desinit

finit quisque sibi proprium fructum recipere, absque eo quòd ex aliorum consortio damnū aliquod patiatur. Et vis huius similitudinis in hoc consistit, quòd sicut Baptismus consistit in receptione, ita sacrificium in actione; & sicut in Baptismo, ex eo quòd plures illum recipiant simul, non minuitur fructus in singulis, ita in sacrificio ex oblatione eiusdem sacrificij per plures, manet idem fructus in singulis.

DVBIVM SECVNDVM.

An fructus sacrificij Missæ sit infinitus intensiuè?

Certum est hostiam sacrificij quæ est Christus, esse virtutis infinitæ; item fructum passionis eius esse actu infinitum, & fructum sacrificij esse ipsum fructum passionis Christi, qui hoc medio nobis applicatur. Denique certum est, fructum sacrificij non esse actu infinitum, nec infinitè per illud applicari. Sensus igitur quæstionis est, an fructus sacrificij sit infinitus syncategorematicè, seu an sit indeterminatus, ita vt Christus in primâ illius institutione non determinauerit certam quantitatem fructus per illud conferendam, sed decreuerit tantùm conferre quanta erit deuotio, & dispositio offerentium, & eorum pro quibus offertur in infinitum, ita vt eorum deuotio determinare debeat quantitatem fructus sacrificij aliàs indeterminatā, eo modo quo causa vniuersalis est indeterminata, & determinatur à causis particularibus. 4

Prima sententia est affirmatiua, fructum scilicet sacrificij non esse determinatum intensiuè, sed determinari à deuotione, & dispositione offerentium, aut eorum pro quibus offertur, ita vt quò maior erit dispositio, eò maior erit fructus ex opere operato in infinitum syncategorematicè. *ita Caietan. ad art. 5. q. 79. D. Thomæ, & expresiùs tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. Canus l. 12. de locis c. 13. ad 10. Syluester verbo Missa q. 9. Cordub. l. 1. q. 3. opinione 5. Aragon. 22. q. 85. n. 3. §. contrariam tamen. Vasquez disp. 230. c. 3. &c.* & volunt D. Thomam 3. p. q. 79. a. 5. stare pro suâ sententiâ, vbi sic ait: *quamuis ergò hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœnâ: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro totâ pœnâ.* Quæ verba infrà examinabuntur. 5 *Quidam volūt fructum sacrificij esse indeterminatū, & infinitum syncategorematicè.*

Secunda sententia est, fructum sacrificij esse finitum, & determinatum intensiuè in primâ sui institutione. *ita D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc.* 6

loca quæ dicunt sacrificium remittere peccata. Remittuntur igitur peccata per sacrificium, quia cùm pro peccatore offertur, conferuntur illi gratiæ præuenientes tanquam effectus sacrificij, quibus si velit, gratiam, & remissionem peccatorum consequetur. Ad hoc verò quod dicit contraria sententia, non esse hoc remittere peccata, cùm remissio peccatorum non sit effectus sacrificij, sed contritionis; Respondeo negando assumptum, quia licet gratiæ præuenientes quibus peccator excitatur ad contritionem, sint effectus immediatus sacrificij, si tamen velit illis coöperari, dabitur ei auxilium concomitans cum quo eliciet contritionem, & remittentur peccata, idque in ordine semper ad sacrificium, & tāquam effectus illius mediatus. Quod satis indicat Tridentinum suprà, cùm dicit per sacrificium inueniri gratiam in auxilio oportuno; & concedi gratiam, & donum Pœnitentiæ. & *D. Thomas item suprà*, docens sacrificium impetrare gratiam contritionis. quibus verbis satis indicant effectum intentum per sacrificium non solùm esse gratias præuenientes, sed & ipsum auxilium concomitans, vnà cum contritione, & remissione peccatorum, quæ omnia licet peccator nō semper consequatur, sunt tamen effectus sacrificij intenti à Christo in primâ institutione; cùm igitur remissio peccati intendatur tanquam effectus sacrificij, verè dici potest sacrificium remittere peccata, licet mediatè tantùm id fiat.

Quomodo sacrificium conferat gratias efficaces.

9 Ex dictis collige quid dicendum sit ad quæstionē quā quidam quærunt an sacrificium conferat gratias efficaces. Respondetur enim gratias illas habere aliquid speciale suprà alias, quia ex speciali ordinatione, & institutione Christi dantur cum intentione producendi actum contritionis, quâ remittantur peccata tanquam effectus specialis per sacrificium intentus; absolutè tamen loquendo gratiæ præuenientes respondentes sacrificio non sunt nisi efficaces in actu primo; positâ autem nostrâ sententiâ, quâ putamus efficacitatem gratiæ radicaliter consistere in proposito diuino conuertendi dicendum est illas solas esse actu efficaces, quæ ex tali proposito efficaci conferuntur; & sic bonum est vt sacerdos celebrans pro peccatore roget Deum, quatenus tanquam effectum sacrificij, ei conferat gratias, quas nouit futuras actu efficaces; hic enim est peculiaris effectus respondens etiam nostræ orationi.

Remissio peccati in sacrificio significat pec-

10 Quoad rationes prioris sententiæ, omnes fundantur super hoc, quod per sacrificium dicantur remitti peccata; quod intelligi potest dupliciter, primò, pro culpâ peccatorum, quæ remittitur mediatè, modo explicato: & sic loquitur Tridentinum suprà, cùm dicit Deum hoc sacrificio placatum, crimina, & ingentia peccata demittere. item cùm dicit offerri pro

viuorum

viuorum peccatis, pœnis, & satisfactionibus. Secundò per peccata intelligi potest pœna peccatorum; & sic sumitur 2. Machab. 12. *sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* hic autem est præcipuus effectus huius sacrificij; Christus enim instituit quædam sacramenta, quibus tanquam instrumentis ex principali institutione remitterentur peccata quoad culpam; & alia quibus principaliter conferretur augmentum gratiæ; decebat vt institueret etiam instrumentum aliquod, quo ex primariâ suâ institutione remitterentur pœnæ peccatis dimissis debitæ, idque tam viuis, quàm defunctis, qui maximè eâ re indigent; & in hunc finem Christus instituit sacrificium Missæ; ideoque effectus magis intentus in hoc sacrificio est remissio pœnæ peccatorum, & eatenus dicitur remittere peccata. Quod vlteriùs patet ex eo quòd æquè principaliter sacrificium offeratur pro viuis, & defunctis, quibus ex consequenti debet principalis effectus sacrificij posse applicari, sed ad solam remissionem pœnæ prodesse potest defunctis: ergò hic est principalis eius effectus. *cata quoad culpam & pœnam.*

Sicut autem sacrificium dicitur remittere peccata in peccatoribus pro 11
quibus offertur, quia confert gratias præuenientes quibus contritionem, & remissionem peccatorũ, vnà cum infusione primæ gratiæ consequitur: ita in iustis dicitur augere gratiam etiam mediatè, quia confert easdem gratias, quibus iustus excitatur ad actus virtutum, per quos gratia habitualis augetur.

DVBIVM TERTIVM.

An effectus gratiarum præuenientium sit ex opere operato, vel impetrationis?

SVarez 3. p. tom. 3. disp. 79. sect. 3. concl. 4. docet sacrificium im- 12
petrare gratias præuenientes, & ijs mediantibus remissionem peccati, & infusionem gratiæ; ita vt omnes illi effectus sic conferantur per modum impetrationis vt non ex opere operato. *Coninck quæstion. 83. d. 8. num. 137.* ait gratias præuenientes conferri ex opere operato. de impetratione non loquitur *Vasquez disputat. 228. cap. 3. n. 20.* vult sacrificium impetrare auxilium gratiæ. & *disp. 229. cap. 2. n. 12.* addit effectum hunc conferri ex opere operato; vnde patet quod ex mente ipsius conferatur ex opere operato, & per modum impetrationis, *Quidam volunt gratias præuenientes conferri per modum impetrationis, alij ex opere operato, alij ex vtroque.*

& quod hæc duo eidem conuenire possint; deinde docet eundem effectum posse haberi per modum impetrationis, etiam fallibilis & ex opere operato. Pro resolutione

13 Dico primò, sacrificium Missæ ijs quibus applicatur confert varias gratias præuenientes per modum impetrationis. ita *Durand. in 4. d. 12. q. 4. Gabriel lect. 26. Cordub. l. 1. q. 3. Suarez, Vasquez & alij communiter.* Patet etiam ex *Tridentino sess. 22. cap. 2.* cùm dicit Deum hoc sacrificio placatum gratiam, & donum pœnitentiæ concedere. & *D. Thomâ in 4. d. 12. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* vbi dicit sacrificium in dispositis gratiam obtinere, & peccata mortalia delere, in quantum gratiam contritionis impetrat.

Gratia præuenientes conferuntur per modum impetrationis.

14 Dico secundò, sacrificium confert gratias præuenientes non solùm per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato. Ita *Vasquez & Coninck suprà, &c.* Probatur primò, effectus hic gratiarum præuenientium non confertur tanquam debitus actioni ipsius sacerdotis, & ex opere operantis, sed est proprius effectus annexus ipsi sacrificio à Christo ex primâ sui institutione, qui voluit eum conferri independenter à merito offerentis. Secundò, sicut colligimus effectum remissionis pœnæ in hoc sacrificio esse ex opere operato, quia confertur virtute sacrificij tanquam aliquid ipsi annexum, independenter à bonitate sacerdotis offerentis; ita de gratijs præuenientibus dicendum est, cùm eodem modo conferantur. Confirmatur primò, Tridentinum suprà docet sacrificium offerri pro peccatis, & pœnis peccatorum: ergò ex mente Concilij non solùm remissio pœnæ confertur ex opere operato, sed etiam auxilium gratiæ quo remittuntur peccata, cùm vtrumque dicatur proprius effectus sacrificij. Confirmatur secundò, sicut ex mente Concilij, & Patrum sacrificium remittit per se peccata quoad pœnam, ita & quoad culpam, mediante scilicet auxilio gratiæ: ergò vtrumque est proprius illius effectus pendens ex institutione Christi, sicque ex opere operato.

Conferuntur etiam ex opere operato.

15 Dices, repugnare eundem effectum esse per modum impetrationis, & ex opere operato, quia effectum conferri ex opere operato, est eum ratione promissionis diuinæ ita conferri, vt omni non ponenti obicem infallibiliter tribuatur tanquam debitus ratione promissionis, absque vlteriori caussâ meritoriâ, aut impetratoriâ illius: sic enim gratiæ illæ præuenientes conferuntur in sacramentis, v. g. in Eucharistiâ; omnis enim recipiens Eucharistiam, eo solo quod non recipit indignè, consequitur gratias præuenientes. Vt autem effectus conferatur per modum impetrationis, exigit caussam impetratoriam, cui táquam proprius effectus respondeat, v. g. in hoc sacrificio gratiæ illæ sic sunt debitæ sacrificio, vt tamen

debeant

debeant à sacerdote impetrari. ergò repugnat eas conferri per modum impetrationis, & ex opere operato. Respondeo negando consequentiam, quia vt effectus hic impetrationis dicatur cōferri ex opere operato, sufficit quòd ex institutione, & ordinatione Christi conferatur, vt *q.* 3. dicetur. Quòd autem in hoc sacrificio ratio operis operati non excludat rationem impetrationis, est, quia sacrificium essentialiter est actus perfectissimus religionis, qui coniunctus orationi naturâ suâ est maximè impetratorius, & ad id ordinatur, ideoque non est mirum, quod effectus illi proprius, & ex primâ institutione applicatus, vltrà rationem operis operati quam habet, conferatur etiam per modum impetrationis.

Dico tertiò, probabilius est sacrificium conferre gratias præuenientes infallibiliter. Est contra *Durandum in 4. d. 12. q. 4. Cordubam l. 1. q. 3. Canum de locis l. 12. cap. 13. ad 9. Vasquez suprà n. 21.* id autem docet *Coninck suprà.* Probatur primò, quia aliàs saluari non possent testimonia Scripturæ, Tridentini, & Patrum, quibus absolutè dicitur sacrificium remittere peccata, scilicet mediatè, vt dictum est: quod idem est, ac conferre gratias præuenientes, quibus peccator possit consequi remissionē peccatorum si velit; & de eâ re loquuntur tanquā de vero, & proprio effectu sacrificij, proindeq; infallibili. Secundò, constat ex verbis formæ, *Luc. 22. qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ verba, vt dictum est, intelliguntur de effusione etiam mysticâ in sacrificio Missæ, & ex quibus sic intellectis colligi potest Christum promisisse collationem huius effectus per hoc sacrificium, quod sufficit ad infallibilitatem illius. Tertiò, remissio pœnæ in hoc sacrificio est effectus infallibilis in subiecto capaci: ergò & collatio gratiarum præuenientium, ob similitudinem dictam. 16

Gratiæ præuenientes conferuntur infallibiliter.

Non obstat autem infallibilitati harum gratiarum, quòd sæpiùs non videmus emolumentum in eis pro quibus offertur sacrificium; & non experiamur eas conferri; quia ob pertinaciam, & obdurationem in peccato eorum pro quibus offertur, non experimur emolumentum, quod non impedit quò minùs gratiæ illæ conferantur, sed sine effectu. Deinde non possumus ita dignoscere collationem harum gratiarum, cùm non conferantur eodem tempore, quo sacrificium offertur, sed datâ occasione & tempore oportuno. Quod videtur intendere Tridentinum suprà, cùm dicit per sacrificium gratiā inueniri in auxilio oportuno. Fatēdum tamen est eas gratias quandoque reddi efficaces ratione orationis, & meriti sacerdotis applicantis; & tunc peculiaris hic effectus non est infallibilis, cùm pendeat ex liberalitate Dei, qui pro voluntate confert gratias futuras efficaces. 17

18 *Remissio peccatorum, infusio gratiæ, aut eius augmentum sunt effectus mediati per modum impetrationis fallibilis.*

Dico quartò, remissio peccati, & collatio primæ gratiæ in peccatore, vel eius augmentum in iusto, quæ sunt effectus mediati sacrificij, proindeque etiam gratia efficax, conferuntur per modum impetrationis fallibilis. Distinguimus enim collationem gratiarum præuenientium, à remissione peccatorum, & collatione gratiæ habitualis, eò quòd primum conferatur ex opere operato, & infallibiliter; secundum verò tantùm per modum impetrationis fallibilis. Ratio est, quia gratiæ præuenientes collatæ per sacrificium, non semper habent suum effectum, etiam in non ponentibus obicem: ergò habent solùm suum effectum per modum impetrationis fallibilis. Dico (per modum impetrationis) quia omnes illi effectus cùm respondent gratijs præuenientibus collatis per sacrificium, habent rationem effectus mediati sacrificij, scilicet per modum impetrationis, vt dictum est.

DVBIVM QVARTVM.

An per hoc sacrificium remittantur peccata venialia, & quomodò?

19 *Quidam docent sacrificiũ remittere immediatè venialia.*



Vorundam sententia est per hoc sacrificium remitti immediatè venialia illi pro quo offertur. Tribuitur communiter *Cano de locis l. 12. c. 13 ad 9. §. errant deinde.* sed si benè legatur, certè non videtur loqui de sacrificio vt oblato pro aliquo, sed vel de eo qui offert sacrificium, vel de eo qui sacrificium consummatum (vt vocat) recipit, id est, de communicante, de quo etiam paulò antè locutus fuerat, & hoc sensu verum est, quod dicit sacrificium consummatum in communione remittere venialia ex Theologorum, & veterũ Patrum testimonio; quod aliàs falsum esset. Præcipua autem ratio sententiam hanc affirmandi est, quòd sacramentalia, vt aqua benedicta, &c. dicantur remittere venialia quasi ex opere operato; absurdè autem tribueretur eâ in re maior vis his sacramentalibus, quàm sacrificio Missæ, quod tamen ex sui institutione dictum est esse propitiatorium pro peccatis. Puto ego aliter loquendum esse de ijs qui aliquo modo concurrunt ad sacrificium, aliter de ijs quibus absque aliquo eorum actu applicatur. vnde

20 *Sacrificium non remittit venialia immediatè.*

Dico primò, sacrificium Missæ non remittit immediatè venialia ijs pro quibus offertur, & nullo actu proprio ad illud concurrunt, est communis, & sic intelliguntur Doctores cùm dicunt sacrificium non remittere venialia.

lia. Probatur primò ex refutatione contrarij fundamenti: sacramentalia in nostrâ, & communi sententiâ non remittunt ex se venialia quasi ex opere operato, ergò nec sacrificium; immò minor est ratio in hoc sacrificio quā sacramentalibus, non quòd sacrificium sit minùs perfectum, sed quia sacramentalia communiter recipiuntur cum pio affectu, quo quis aliquo modo disponitur ad remissionem venialiū: sacrificium verò oblatum pro eo qui nullo actu ad illud cōcurrit, supponit nullum esse actum, quo is disponatur ad remissionem venialium. Secundò, venialia in nostrâ sententiâ non remittuntur sine infusione gratiæ: ergò cùm sacrificium non conferat immediatè gratiam habitualem, non remittit etiam venialia immediatè. Tertiò, venialia non remittuntur per solam extrinsecam condonationem, sed eorum remissio exigit immutationem aliquam intrinsecam, cùm dicant quandam deordinationem in animâ; sed de his plura suo loco.

21 Dico secundò, sacrificium Missæ applicatum ijs qui nullo actu ad illud concurrunt, remittit venialia mediante pio motu qui eorum remissionem causat; ita vt, sicut dictum est, remissionem peccatorum mortalium esse verum effectum sacrificij, licet mediatum, quia cum ordine ad sacrificium remittuntur, ita de venialibus dicendum est, cum hâc tamen differentiâ quòd venialia multò faciliùs remittuntur, tùm quia homo supponitur in gratiâ, proindeque magis dispositus ad coöperationem gratiæ; tùm etiam, quia venialia sunt leuiora, quæ facilè, id est, per solam attritionem etiam virtualem remittuntur. *Sed tantùm mediatè.*

22 Dico tertiò, sacrificium Missæ in ijs qui aliquo modo concurrunt illud offerendo, immediatè remittit venialia, non semper vt vult *Fravinellus sect. 3. pranot. 4.* sed quandoque tantùm vt *Suarez disp. 79. sect. 5. in fine.* Ad quod requiritur quòd offerant pro se, & per intentionem formalem, aut ad minùs virtualem in remissionem peccatorum; tunc enim si sint in gratiâ, oblatio erit in remissionem venialium, saltem eorum, de quibus non habent virtualem complacentiam, & illorum remissionem consequentur immediatè, idque tum ex oblatione ipsâ sacrificij; tum etiam ob actualem dispositionem quæ in talibus offerentibus reperitur. hæc enim dispositio aliquo modo repugnat cum peccatis venialibus; nullus enim dicitur offerre sacrificium in remissionem suorum peccatorum, quin displicentiam aliquam illorum habeat, quæ vnà cum sacrificio sufficiens sit ad illorum remissionem; & licet actus offerētis ex se non sit sufficiens ad deletionem venialium, redditur tamen talis, & completur per sacrificium eo fine oblatum, quod sic venialia remittit; & putandum est Deum sacrificio in primâ institutione eam virtutem tribuisse taliter remittendi venialia. *Immediatè remittit ijs qui concurrunt ad ipsū sacrificium, sed tantùm quandoq; & quibusdam positis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An Missæ sacrificium conferat remissionē pœnæ ijs quibus applicatur ex opere operato.



Conueniunt Doctores sacrificium conferre remissionem pœnæ ex opere operato. hic enim est præcipuus eius fructus principaliter intentus in institutione: Christus enim instituit septem Sacramenta, & per aliqua principaliter remittuntur peccata, & confertur gratia; per alia augetur, & nutritur ipsa gratia, &c. Restabat vt instrumentum aliquod institueret, quo ex primariâ institutione remitterentur pœnæ peccatorum, ad quod sacrificium hoc instituit, & valdè oportunè, quia cùm pœna peccatis debita possit remitti per extrinsecam condonationem absque interiori aliquâ immutatione hominis, conueniebat eam remitti per sacrificium, quod applicari etiam potest alteri, absque eo quod actu ad illud concurrat. Quod autem sacrificium sit remissiuum pœnæ, docet *Trident. sess. 22. cap. 2.* cùm ait, offerri pro fidelium pœnis, & satisfactionibus. quod repetit eâdem *sess. can. 3.*

Nota hanc remissionem pœnæ fieri per sacrificium immediatè, applicando scilicet satisfactiones Christi in solutionem. hoc enim modo Christus suas satisfactiones sacrificio coniunxit; vnde hic effectus differt à priori effectu remissionis peccatorum, qui fit solùm mediatè.

Quæri posset an effectus hic sit certus, & infallibilis, tam respectu mortuorum, quàm viuorum: sunt enim qui docent esse quidem certum in viuis qui sunt in gratiâ, non sic autem in defunctis; sed melius dicendum est esse omnino certum & infallibilem in viuis, & defunctis; de viuis nullus dubitat; de defunctis dicetur lib. 3. vbi pluribus id probabitur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

An sacrificium Missæ habeat aliquem effectum quoad impetrationem?



Acrificium Missæ valet etiam plurimùm ad quælibet beneficia tam spiritualia, quàm temporalia impetranda; si enim quælibet oratio habet eam virtutem impetrandi plurima à Deo, multò magis tribuenda est ea virtus sacrificio Missæ, in quo ad maiorem effectum impetrationis non solùm Deo offertur Christus Dominus, sed ipse etiam cum sacerdotibus, & in illis se ipsum offert. vnde multi docent, quòd vna ex primis rationibus, cur Christus voluerit sacrificium in propriâ personâ. & suo nomine offerri, sit, vt tantæ personæ authoritate innixum, maiorem virtutem quoad effectum impetrationis haberet; hinc etiam accidit, quòd omnes orationes huic sacrificio coniunctæ, non solùm quæ ex præcepto Ecclesiæ per sacerdotem in Missà recitantur, sed etiam quæ à populo assistente vnà cum sacrificio Deo offeruntur, multò maiorem habeant efficaciam ad impetrandum. 1

Sacrificium impetrat multa beneficia spiritualia, & temporalia.

Quoad beneficia autem quæ impetrari possunt, sunt primò spiritualia; vt quòd Deus conferat alicui zelum conuersionis animarum, donum lacrimarum, &c. item auxilia quibus conuertatur. nam vltrà auxilia quæ, vt dictum est, conferuntur ex opere operato, potest etiam offerens intentione speciali impetrare vlterius speciale auxilium ad conuersionem; immò dictum est auxilia gratiæ, quibus quis actu conuertitur sæpè esse effectum huius specialis impetrationis. Secundò, impetrantur etiam varia beneficia temporalia; sic enim offertur sacrificium pro salute corporali, pro sedandâ peste, fame, bello, &c. Aduerte autem nos non impetrare temporalia hæc nudè secundùm se, sed quatenùs aliquo modo conducunt ad salutem animæ consequendam, quia ista omnia impetramus virtute meritorum Christi, quæ non applicantur nisi ad aliquid ordinatum ad salutem, cùm Christus alio fine non sit mortuus; hinc oritur nos sæpè non impetrare quod postulamus, quia Deus nouit illud obfuturum saluti. 2

Aduerte item ad impetranda quædam beneficia per sacrificium; requiri expressam intentionem offerentis, quia cùm sacrificiū sit causa imperatiua quorundam beneficiorum, determinari debet per offerentem ad aliquod 3

particulare. Citra expressam intentionem tamen, ratione intentionis virtualis, impetrare solet illi pro quo offertur beneficium aliquod ad salutem conducens; & puto quòd, cùm per illud aliquid rogamus non conueniens saluti, Deus soleat illud negando, conferre aliud actu conducens ad salutem, vt sacrificium omni effectu impetrationis non priuetur. Quoad impetrationem autem quæ fit ratione Ecclesiæ, in cuius personâ etiam offertur sacrificium, sufficit intentio eiusdem Ecclesiæ, nec requiritur ipsius offerentis. Quoad impetrationem sacrificij in personâ Christi oblati, non differt à nostrâ speciali impetratione, & iste respectus solùm dignificat nostram oblationem, & reddit eam magis impetratoriam, vt infrà.

An fructus impetrationis sit ex opere operato.

4 Pro complemẽto, quæri potest: an hi effectus impetrationis dici possint conferri per sacrificium ex opere operato? *Suarez disp. 79. sect. 7.* negat, & dicit se neminem legisse qui id affirmet. *Vasquez* tamen *disp. 229. c. 2.* affirmat, & docet effectus hos esse simul per modum impetrationis, & ex opere operato, eo modo quo *hâc disp. q. 1. d. 3.* dictum est de auxilio gratiæ collato per sacrificium. Quoad rationes pro hâc sententiâ, vltra dicta loco citato, duæ adhuc speciales hîc adferri possunt: Prima, quia licet effectus hi non sint infallibiles, non obstât quò minùs dici possint ex opere operato, cùm perseuerantia sit effectus Eucharistiæ ex opere operato, quæ tamẽ non est infallibilis. Secunda, quia Tridentinum docet sacrificium offerri non solùm pro peccatis, & pœnis, sed etiã pro alijs necessitatibus; quod vltimũ cõplectitur omnes prædictos effectus impetrationis, qui numerãtur inter veros effectus sacrificij; ergò sicut alij, sunt ex opere operato. Quod ad me, puto verius dici debere effectus hos impetrationis conferri quidem cum ordine, & dependentiâ à sacrificio, & eatenus dicuntur effectus illius, sicque videntur participare quandam similitudinem operis operati; verùm tamen non sunt veri effectus ex opere operato, quia habent etiam ordinem, & dependentiam à personâ offerente, & illi etiam tribuuntur, quod non reperitur in vero fructu ex opere operato; quòd autem respectum habeant ad operantem, patet ex eo quòd plurimum ad id conferat deuotio, & sanctitas offerentis, & sæpè indispositio, & indignitas illius, effectus consecutionem impediat.

5 Quod autem iam dictum est generaliter de effectu impetrationis beneficiorum spiritualium, & temporalium, ex consequenti etiam affirmari potest de effectu specialis impetrationis, quâ dub. 3. citato, dictum est, offerentem vltra auxilium gratiæ ex opere operato, quandoque impetrare auxilium efficax, & actualem conuersionem: hic igitur effectus specialis impetrationis non est etiam ex opere operato, sed sortitur eandem naturam,

tam, ac omnes prædicti per modum impetrationis: quod bene notandum est; aliud enim est loqui de auxilio gratiæ quod in nostrâ sentent â confertur per hoc sacrificium ex opere operato; aliud de auxilio efficaci, seu de gratiâ conuersionis.

DISPVTATIO III.

De quantitate fructus sacrificij Missæ.

QVÆSTIO VNICA.

An fructus sacrificij Missæ sit infinitus?

DVBIVM PRIMVM.

An fructus sacrificij Missæ sit infinitus extensiuè in ordine ad diuersos offerentes?

SVppono hîc omnes specialiter, & per proprium actum concurrentes ad sacrificium cum sacerdote, vt ministrantes, assistentes, procurantes, &c. verè offerre suo modo, & exinde recipere fructum aliquem ex opere operato, vt *disputat. 4. q. 4. d. 2.* dicetur. Quæritur igitur an ex pluralitate taliter offerentium minuatur in singulis fructus ille inde prouueniens.

Respondeo igitur, & dico, fructum sacrificij Missæ ex opere operato prouenientem offerenti, non minui ex pluralitate offerentium cum sacerdote, sed quemque recipere eum quem reciperet si solus offerret; ita vt, hoc sensu fructus sacrificij dici possit aliquo modo infinitus syncategorematicè, & extensiuè in ordine ad pluralitatem offerentium. ita *Caietanus tom. 2. tract. 3. q. 2. Canus de locis l. 12. c. 13. ad 10. Syluest. verbo Missa q. 9. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. Suarez disp. 79. sect. 12. &c.* Probatur primò, sicut cùm plures sacerdotes simul offerunt plura sacrificia, quisque recipit fructum suum totalem, nec aliquid inde minuitur in singulis: ita nec minuitur ex pluralitate, fructus respondens coofferentibus sacerdoti; quia, sicut cùm

1 *Fructus sacrificij proueniens offerenti non minuitur ex pluralitate.*

plures sacerdotes offerunt plura sacrificia, sunt plures offerentes, plures oblationes, & plura sacrificia, seu idem iteratum: ita cùm plures coöfferunt sacerdoti, sunt plures suo modo offerentes, plures item oblationes personales, quæ simul sumptæ constituunt vnam totalem, quæ quò ex pluribus quasi partialibus constat, eò maioris est valoris, & proinde maior fructus illi respondet; quia sicut oblatio vnius est independens ab oblatione alterius, ita fructus respondens oblationi vnius, non dependet à fructu oblationis alterius; sed sicut oblationes illæ omnes faciunt vnam totalem moraliter, constantem ex illis omnibus; ita fructus totalis illi respondens constat ex diuersis partialibus qui respondent singulis partialibus oblationibus; & licet in pluribus sacerdotibus offerentibus sit sacrificium iteratum, in nostro autem casu non iteretur, nil obstat, quia sicut idem sacrificium iteratum ratione suæ infinitatis confert eundem fructum, qui iteratione non minuitur; ita fructus respondens eidem sacrificio non iterato, sed à diuersis personis, & actionibus oblato, ratione eiusdem infinitatis non minuitur, cùm vtrobique sit Christus Dominus eadem hostia in se continens virtutem infinitam, quæ sicut oblata diuersis sacrificijs confert fructus distinctos; ita oblata eodem totali sacrificio à diuersis per actiones, & oblationes diuersas, diuersos etiam fructus confert, & vtrobique multiplicantur iuxta pluralitatem offerentium.

2 Probatur secundò, cùm Christus in cruce offerebat Deo Patri cruentum sacrificium, si plurimi cum eo homines illud obtulissent, tantum fructum singuli consecuti fuissent, ac si vnicus cum eo obtulisset, tum ratione infiniti pretij rei oblatę, tum etiã ratione pluralitatis oblationum, & offerentium, quorum vnus non dependisset ab alio, nec impedisset fructum alterius: ita & in sacrificio Missę, cùm sit eadem hostia infinita, ex pluralitate offerentiũ non minuitur in singulis fructus, cùm oblatio vnius nõ sit dependens ab oblatione alterius, nec vna videatur posse officere alteri.

Tertiò, aliàs sequeretur quò plures ministrant sacrificio, singulos minorem fructum recipere, & vnum impedire fructum alterius. Item ex pluralitate assistentium minueretur in singulis fructus, quod non videtur rationi consonum.

3 Quartò denique afferri potest similitudo Baptismi, quam quidam male ad probandam infinitatem intensiuam afferunt: sicut enim si plures simul ab eodem sacerdote baptisentur, non desinit quisque totũ effectum Baptismi recipere, ac si diuisim baptisati essent, nec fructus vnius impedit fructum alterius: ita ex eo quod plures idem sacrificium offerant non desinit

finit quisque sibi proprium fructum recipere, absque eo quòd ex aliorum consortio damnũ aliquod patiatur. Et vis huius similitudinis in hoc consistit, quòd sicut Baptismus consistit in receptione, ita sacrificium in actione; & sicut in Baptismo, ex eo quòd plures illum recipiant simul, non minuitur fructus in singulis, ita in sacrificio ex oblatione eiusdem sacrificij per plures, manet idem fructus in singulis.

DVBIVM SECVNDVM.

An fructus sacrificij Missæ sit infinitus intensiuè?

Certum est hostiam sacrificij quæ est Christus, esse virtutis infinitæ; item fructum passionis eius esse actu infinitum, & fructum sacrificij esse ipsum fructum passionis Christi, qui hoc medio nobis applicatur. Denique certum est, fructum sacrificij non esse actu infinitum, nec infinitè per illud applicari. Sensus igitur quæstionis est, an fructus sacrificij sit infinitus syncategorematicè, seu an sit indeterminatus, ita vt Christus in primâ illius institutione non determinauerit certam quantitatem fructus per illud conferendam, sed decreuerit tantùm conferre quanta erit deuotio, & dispositio offerentium, & eorum pro quibus offertur in infinitum, ita vt eorum deuotio determinare debeat quantitatem fructus sacrificij aliàs indeterminatá, eo modo quo causa vniuersalis est indeterminata, & determinatur à causis particularibus. 4

Prima sententia est affirmatiua, fructum scilicet sacrificij non esse determinatum intensiuè, sed determinari à deuotione, & dispositione offerentium, aut eorum pro quibus offertur, ita vt quò maior erit dispositio, eò maior erit fructus ex opere operato in infinitum syncategorematicè. *ita Caietan. ad art. 5. q. 79. D. Thomæ, & expresſiùs tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. Canus l. 12. de locis c. 13. ad 10. Sylueſter verbo Missa q. 9. Cordub. l. 1. q. 3. opinione 5. Aragon. 22. q. 85. n. 3. §. contrariam tamen. Vasquez disp. 230. c. 3. &c.* & volunt *D. Thomam 3. p. q. 79. a. 5.* stare pro suâ sententiâ, vbi sic ait: *quamuis ergò hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœnâ: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro totâ pœnâ.* Quæ verba infrà examinabuntur. 5

Quidam volũt fructum sacrificij esse indeterminatũ, & infinitum syncategorematicè.

Secunda sententia est, fructum sacrificij esse finitum, & determinatum intensiuè in primâ sui institutione. *ita D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc.* 6

Alij volunt esse finitum & determinatum.

3. ad 1. vbi ait: *quamuis virtus Christi quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentū ordinatur.* Quasi dicat; licet Christus, & infinita merita Passionis eius in hoc sacramento sicut in vase recondita contineantur, non ordinatur tamē nisi ad effectum aliquem determinatum, scilicet à Christo, qui determinauit, & taxauit certos gradus meritorum suorum conferendos per hoc sacrificium. Nec huic contradicit locus in priori sententiâ citatus, quem pro se allegat *Caietanus, & alij*, quia ibi solùm docet fructum sacrificij esse satisfactorium pro pœna secundùm quantitatem deuotionis: hæc enim duo non repugnant, fructum esse determinatum in primâ institutione, & tamen vltrà augeri secundùm quantitatem deuotionis; & multi huius secundæ sententiæ vtrumque admittunt; licet contrarium dicturi simus, fructum scilicet sacrificij, saltem respondentem sacerdoti vt personæ publicæ, non augeri ex maiori deuotione; quod tamen admittimus in materiâ sacramentorum, in quibus fructus licet determinatus in primâ institutione, augetur tamen ex maiori dispositione recipientium. Hanc secundam sententiam docent *Scotus quodlib. 20. Gabriel in can. lect. 26. Adrian. quodlib. 8. a. 3. Couarru. c. alma mater p. 1. §. 5. n. 5. Suarez disp. 79. sect. 11. Syluius 3. p. q. 83. a. 1. q. 16. &c.* Pro resolutione

7 Nota Christum modò non esse capacem meriti, & satisfactionis, ac proinde licet actu offerat in cœlo omnia sacrificia, & in eius personâ sacerdos, nullus tamen inde fructus peculiaris exurgit, vt *disp. 4. q. 1. d. 2. & 3. & q. 2. d. 2.* dicetur; ideoque si fructus sacrificij dicendus sit infinitus, non potest ex hoc capite desumi, vt quidam faciunt, qui hanc infinitatem tribuunt sacrificio, ratione Christi principaliter per sacerdotem offerentis, aut per proprium actum in cœlo. Deinde neque infinitas hæc desumi potest ex infinitate rei oblatæ, scilicet Christi, vt volunt *Caietanus, Canus, &c.* quia sacrificium non tam dicit hostiam oblatam, quàm oblationē hostiæ, ideoque fructus sacrificij ex ipsâ oblatione potiùs, quàm ex re oblatâ pesandus est Si igitur fructus dicendus sit infinitus, id ex ipsâ Christi institutione oriri debet, vt rectè docet *Vasquez suprà*: Christus enim instituendo hoc sacrificium velut instrumētum quo merita suæ passionis communicaret hominibus, potuit illi virtutem finitam, vel infinitam coniungere; potuit item determinare, & taxare effectum illius, vel indeterminatum relinquere, determinandum per deuotionem offerentium, & eorum pro quibus offertur ad modum causæ vniuersalis indeterminatæ, quæ determinatur ad definitum effectum per causas particulares; hæc enim omnia ex Christi voluntate, & institutione pendebant, vt infrà meliùs dicetur. hoc posito,

Dico

Dico, fructum sacrificij nō esse intensiuè infinitum syncategorematicè, nec sacrificium habere rationem causæ vniuersalis indeterminatæ, quæ determinetur per offerentium deuotionem, sed fructus eius in primâ sui institutione à Christo est determinatus, & taxatus. Ita auctores secundæ sententiæ, & hanc opinionem communem Theologorum, & certam vocat *Bellarm. l. 2. de Missâ c. 4. Nauarrus* piam, certam, & verissimam. *Corduba suprà*, licet contrariæ sit opinionis, eam tamen communissimam appellat, fuit que maximè apud veteres Theologos semper recepta. 8

Fructus sacrificij non est infinitus, nec indeterminatus.

Probatur primò, Christus in institutione sacramētorum, v.g. Baptismi, applicuit certum, & determinatum fructum, qui confertur pueris independenter ab omni eorum dispositione; aliàs si effectus esset indeterminatus, pueri nullum fructum reciperent, cùm per propriam dispositionem non possint illum determinare: ita etiam instituendo sacrificium, determinauit certum aliquem fructum per illud conferendum independenter à dispositione offerentium, & eorum pro quibus offertur; aliàs cùm sacerdos in mortali non rogatus celebrat pro viuis, & maximè pro defunctis, nullus fructus responderet sacrificio, cùm nulla sit dispositio, seu deuotio determinans fructum, nec ex parte celebrantis, nec eorum pro quibus celebrat. Respondet *Aragonius suprà § cōtrariam tamen.* id fieri per accidens quòd nulla sit dispositio ex parte vtriusque; & addit, tunc sacrificium nullum habiturum effectum, quia passim est omninò indispositum, vel si habet, taxatur à solo Deo, vel ex deuotione Ecclesiæ. *Syluester verò suprà* respondet effectum limitari communiter ex deuotione Ecclesiæ, & ipsius offerentis; vnde si deuotio offerentis desit, remanet adhuc ipsius Ecclesiæ. Sed hæc responsio non satisfacit; non enim casus hic est ita metaphysicus, & rarus vt putat *Aragonius*; sæpè enim accidit sacerdotes in mortali non rogatos propriâ deuotione celebrare pro viuis, aut etiam pro defunctis: dicere autem in eo casu nullum effectum illis applicari est contra torrentem Doctorum. Deinde fructus ex opere operato non potest limitari, & determinari ex deuotione Ecclesiæ, cùm illa non sit propriè personalis. Si autem concedit *Aragonius* taxari tunc à Deo, cur non admittit potiùs fructum singulorum sacrificiorum taxatum esse à Christo in primâ institutione; præcipuè cùm hoc non repugnet eius sententiæ, quâ docet augeri fructum ex opere operato ob maiorem deuotionem, vt statim dicetur. Deinde *Corduba suprà § in quo rectè* admittit fructum sacramentorum esse determinatum, & taxatum quoad paruulos; cur æquè non posset dici & sacramenta, & sacrificium habere generaliter effectum aliquem determinatum, quem conferent ijs qui recipient sacramenta, & quibus

9 *Reijcitur Aragonius & alij.*

quibus applicabitur sacrificium nullâ concurrente dispositione.

Secundò, si fructus esset indeterminatus, & totus dependens à dispositione offerentis, & eorum quibus applicatur, sacerdos celebrans pro seipso distractus nullum fructum ex opere operato consequeretur. quod licet admitteret *Caietanus*, indubiè tamen est falsum, quia licet tunc oblationi in personâ priuatâ nullus fructus respondeat, respondere tamen debet eidem oblationi in personâ publicâ, cùm illimet actioni sacrificij annexus sit fructus ex institutione diuinâ independens à ministro, & eo cui applicat. Deinde aliàs falsum esset, sacramenta, & sacrificium conferre suos effectus ex opere operato, non ponentibus obicem; distractio enim venialis non est obex impediens collationem huius effectus.

Quòd fructus augeatur ex maiori dispositione, non impedit quominus sit limitatus.

10 Tertiò, vna ex præcipuis rationibus cur auctores contrariæ sententiæ volunt fructum sacrificij esse in se indeterminatum, est, quia docent illum augeri, & minui secundùm maiorem, vel minorem deuotionem offerentium, & idem affirmant de sacramentis. Ad hoc autem non est opus recurrere ad indeterminationem fructus ex primâ institutione; cùm *Gabriel in 4. d. 9. q. 2.* & alij plures nostræ sententiæ doceant fructum sacrificij, & sacramentorum esse ex primâ institutione à Christo determinatum, & tamen vltrà etiam augeri, & crescere ex maiori dispositione suscipientis; vnde in hâc sententiâ *Gabrielis* dicendum est, quòd sicut causæ secundæ, licet habeant in se virtutem finitam, & limitatam, producunt tamen perfectiorem, & perfectiorem effectum, tum ob maiorem dispositionem passi, tum ob adiumentum alterius causæ: ita sacramenta, vt Baptismus, & sacrificium, habent quidem ex institutione Christi certum, & determinatum effectum; & in Baptismo est is qui confertur pueris: in sacrificio is qui applicatur defunctis à celebrante in mortali; vltra quòd tamen illorum effectus augetur ex maiori dispositione recipientis baptismum, & perfectiori concurrentiâ celebrantis ad sacrificium, eò modo quo causæ secundæ producunt effectũ perfectiorem ob maiorem dispositionem passi, vel concurrentiam alterius causæ. Et hoc videtur innuere Tridentinum *session. 6. can. 7.* vbi loquens de effectu Baptismi in adultis, ait, per illum nos iustificari, *iustitiam in nobis recipientes vnusquisque secundùm suam mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult:* Ecce fructum à Christo in primâ institutione determinatum, *& secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem:* Ecce alterum fructum respondentẽ dispositioni. In nostrâ autem sentẽtiâ, fructus Baptismi à Christo determinatus augetur quidem ex maiori dispositione recipientis, vt rectè innuit Tridentinum citatum, ex quo patet determinationem fructus à Christo factam non impedire quò minùs

minùs augeatur ex maiori dispositione. At verò in sacrificio Missæ non admittimus fructum illius ex opere operato, saltem respondentem personæ publicæ, augeri ex maiori dispositione vt dubio 5. dicetur, sed ad summum fructum respondentem personæ priuatæ.

Quæri autem potest, an determinatio fructus sacrificij oriatur à naturâ ipsius sacrificij & ab intrinseco, an verò solùm ab extrinseco. Vnde sit

DVBIVM TERTIVM.

An fructus sacrificij Missæ determinatus sit ab intrinseco, vel extrinseco?



Ensus est, an hæc determinatio oriatur à naturâ ipsius sacrificij, an verò solùm ratione voluntariæ institutionis Christi, & ratio dubitandi est, quia instrumentum communiter restringit, & limitat virtutem & efficacitatem causæ principalis, quæ in productione effectus se debet accommodare conditioni sui instrumenti, vt patet in eo qui scribit calamo; scriptura enim cæteris paribus erit imperfectior, vbi calamus erit minùs aptus: ita in communicatione meritorum Christi, quæ fit per sacerdotem, & eius sacrificium tamquam per instrumentum, videtur quòd virtus illa infinita meritorum Christi debeat restringi & determinari iuxta conditionem huius instrumenti finiti, & per consequens quod hæc limitatio & determinatio sit ab intrinseco iuxta conditionem & naturam sacrificij, pro vt fit à sacerdote. Interim tamen 11

Respondeo & dico, sacrificium Missæ per sacerdotem oblatum non habet naturâ suâ, & ab intrinseco effectum finitum & determinatum, sed solùm ab extrinseco, scilicet ex voluntariâ institutione Christi. Probatur prima pars euertendo rationem dubitandi suprà positam: est enim triplicis generis instrumentum, scilicet naturæ, artis, & voluntarium: instrumentum naturæ, & artis limitat, & determinat virtutem & efficaciam causæ principalis, quæ se debet accommodare conditioni, & perfectioni sui instrumenti: at verò in instrumento voluntario, quale est sacrificium sacerdotis respectu communicationis meritorum Christi, non est simile, quia cùm causa principalis non necessariò sit obligata ad vtendum illo instrumento, non potest ab intrinseco, & necessariò minuere, 12

Fructus sacrificij est solùm determinatus ab extrinseco.

& limitare virtutem, & perfectionem effectus: sicut enim malitia ministri non minuit valorem eleemosynæ quàm tribuit in persona domini: ita finita dignitas sacerdotis & eius sacrificij oblati in personâ Christi, non necessariò, & ab intrinseco minuit & determinat infinitam virtutem meritorum passionis Christi, quia cùm sit instrumentum voluntarium, causa principalis non necessariò dependet à conditione & perfectione illius.

13 Probatur secunda pars conclusionis, quòd limitatio & determinatio fiat solùm ab extrinseco; quia cùm ex dictis constet fructum sacrificij esse in se finitum, & determinatum; item cùm hæc limitatio & determinatio non fiat necessariò ab intrinsecâ naturâ sacrificij, quatenus à sacerdote oblati; rectè sequitur eam determinationem fieri ab extrinseco, id est, à solâ institutione Christi, qui iustis de causis & congruentijs voluit huic sacrificio à sacerdote oblato, finitum, & determinatum effectum tribuere: & ex hoc capite tota determinatio suprà dicta colligenda est.

DVBIVM QVARTVM.

An fructus sacrificij Missæ sit infinitus extensiuè in ordine ad diuersos quibus applicatur?



Quæstionem hanc ex parte explicauimus disp. 1. q. 1. d. 3. vbi loquendo de fructu generalissimo sacrificij proueniente singulis fidelibus quatenus pro illis offertur, dictum est esse finitum intensiuè, & extensiuè; & idem dicendum esse de fructu medio: eam tamen hîc paulò fusiùs examinabimus. Pro quo

14 Nota primò, ex finitate intensiuâ fructus sacrificij non necessariò colligi finitatem extensiuam illius; tum quia hîc dub. 1. dictum est esse quasi infinitum extensiuè; tum etiam, quia causa finita in virtute, quæ non potest producere effectum nisi in certis gradibus intensionis, potest tamen quandoque illum effectum in ijsdem gradibus, in multis subiectis indefinitè producere; vt patet in igne, qui licet non possit producere calorem nisi vt octo, illos tamen octo gradus producere potest simul in diuersis subiectis: ita licet sacrificium habeat fructum finitum intensiuè, dici tamen posset eum fructum æquè intensum multiplicari in diuersis subiectis, ijs scilicet quibus applicatur.

Nota.

Nota secundò, aliud esse loqui de fructu satisfactionis, aliud de impetrationis, cùm sit diuersa vtriusque ratio.

15 Prima igitur sententia est Doctorum dubio præcedenti in primâ sententiâ citatorum, scilicet *Caietani*, *Syluestri*, *Cani*, *Aragonij*, *Vasquez*, quibus adde *nostrum Peirinis lib. de priuilegijs in Iulio 2. constitutione 5. n. 15.* qui quia putant fructum sacrificij esse infinitum, & indeterminatum intensiuè, consequenter docent esse etiam infinitum & indeterminatum extensiuè, respectu eorum pro quibus offertur, ita vt licet offeratur pro pluribus, non minùs prosit singulis; qualiter autem id fiat varij variè explicant. *Coninck q. 83. a. 1. d. 10.* accusat Caietanum (quem tamen plures citati sequuntur) contradictionis in hoc quòd dicat fructum sacrificij respondentem oblationi, & deuotioni sacerdotis, & aliorum offerentium, esse finitum, & applicatum multis, minùs prodesse singulis; & tamen pro resolutione quęstionis doceat sacrificium oblatum pro pluribus, æquè prodesse singulis, si illi suo modo concurrant ad sacrificium. in quo, inquit *Coninck*, non respondet ad quæstionem, quia licet singuli ex suâ oblatione cum sacerdote æqualem fructum accipiant ac si soli offerrent, ex eo non sequitur quod tantum fructus accipiant, quia sacerdos pro illis offert, sed quia offerunt. Puto tamen omninò sensum Caietani non esse repugnantem, & rectè ad quæstionem respondere: quæstio enim ipsius est, vtrùm sacerdos celebrans pro pluribus, satisfaciat pro singulis? & statim initio explicat titulum quæstionis, an sacerdos obligatus ad celebrandum pro aliquo (scilicet datâ eleēmosynâ) & accipiens etiam eleēmosynam ab altero, vt celebret pro eo, satisfaciat dicendo vnam Missam pro vtroque. Ex quo patet eum loqui de ijs qui suo modo effectiuè concurrunt ad sacrificium. Ad hoc igitur respondet, respectu eorũ qui suo modo non cõcurrunt ad sacrificium, dando eleēmosynã, assistendo, &c. sed ex solâ intẽtione, & applicatione sacerdotis, illis fructus confertur, sacrificij effectum esse finitum, & applicatũ pluribus, minùs prodesse singulis; quia cùm soli deuotioni finitæ sacerdotis cõmensuretur, finitus etiam esse debet. At verò respectu eorum qui suo modo concurrunt ad sacrificium, fructus est infinitus, & oblatus pro multis, æquè prodest singulis secundùm cuiusque deuotionem: non quasi velit confundere fructum illis prouenientem quatenus offerunt, & quatenus pro eis à sacerdote offertur, vt putat *Coninck*, sed quia vltra fructum quem recipiunt vt coofferentes, accipiunt etiam fructum ratione sacrificij pro eis per sacerdotem oblati, qui quia in se non est determinatus, determinatur secundùm quantitatem deuotionis quam quisque habet non currendo ad sacrificium. Et hunc puto esse verum seu

Quidam volunt fructũ sacrificij esse infinitum in tensiuè & extensiuè.

Explicatio sententia Caietani.

 sententiæ

sententiæ Caietani, quæ hoc modo explicata subtilis est, quem in eodem
sensu sequuntur suprà citati; nos autem hâc in re aliter philosophamur,
& volumus vltra fructum ex opere operato, quem quisque recipit coöffe-
rendo sacerdoti, qui conformis est propriæ deuotioni, recipere etiam a-
lium fructum quatenus sacerdos pro illis offert, non conformem pro-
priæ deuotioni, sed solius sacerdotis offerentis, vt dubio sexto dicetur.

Alij solùm fructum generalem esse talem.

16 Secunda sententia est, fructum sacrificij esse quidem finitum intensiuè,
infinitum tamen extensiuè, quandò generali intentione ex præcepto Ec-
clesiæ pro multis offertur, vt pro Rege, Antistite, circumstantibus, parœ-
cianis; & ex pluralitate fructum non minui in singulis; respectu verò alio-
rum pro quibus intẽtione speciali offertur, fructum esse omninò finitum,
& applicatum multis, minùs prodesse singulis. ita *Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1.*
idem docent de fructu generali *Valentia tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 1. §. 25 Bona-
cina de sacramento Eucharistia disputat. 4. q. vlt. p. num. 5.* vt dictum est *disput. 1.
q. 1. d 2.*

Alij fructum esse finitum extensiuè & intensiuè.

17 Tertia sententia est, fructum sacrificij ita esse finitum intensiuè vt sit
etiam extensiuè in ordine ad eos quibus applicatur, & applicatum mul-
tis, minùs prodesse singulis. ita auctores secundæ sententiæ *dub. 2.* relatæ.

Fructus sacrificij est finitus extensiuè, & applicatus multis, minus prodest singulis.

Dico igitur primò, fructus sacrificij Missæ est finitus extensiuè, in or-
18 dine ad diuersos, quibus à sacerdote applicatur, ita vt generaliter applica-
tus multis, minùs prosit singulis. Ita Auctores citati dubio secundo in se-
cunda sententiâ, quod intellige siue illi quibus applicatur etiam offerant,
siue non; alius est enim fructus illis proueniens quatenus offerunt cum
sacerdote, qui crescit secundùm eorum deuotionem; alius quatenus sa-
cerdos pro illis offert, qui non determinatur secundùm recipientium de-
uotionem, sed ex solâ Christi institutione, vt dictum est. Probatur primò,
omnes effectus sacrificij ex solâ Christi voluntate, & institutione depen-
dent: sicut igitur fructum intensiuè finitum iustis de causis illi tribuit: ita
etiam extensiuè, in ordine ad eos quibus à sacerdote applicatur. Quod
cõfirmatur à priori, primò, quia fructus satisfactionis ex opere operato, de
quo hic est sermo, habet se per modum solutionis ex satisfactionibus
Christi: solutio autem sequitur naturam numeri Arithmetici, qui siue in
vnum colligatur, siue in plures partes diuidatur, semper idem est; vnde sic-
ut si satisfactio sex graduum conferatur vni, recipiet illos sex gradus: ita
si conferatur duobus, quisque tres solùm participabit. Confirmatur se-
cundò, fructus in plures extensus æquiualet intensiori: sicut igitur fructus
sacrificij secundùm intensionem est finitus & determinatus, ita & secun-
19 dùm extensionem vide dicta *disp. 1. q. 1. dub. 2.* Nec est quod aduersarij ad-
ferant

ferant rationem diuersitatis in intensione, & extensione comparatione ignis suprà citatâ; est enim in hoc magna disparitas: ignis enim licet possit solùm octo gradus caloris in vno subiecto producere, potest tamen simul eosdem gradus producere in alijs subiectis, quia per productionem octo graduum in primo subiecto, non euacuatur eius virtus quoad similes gradus in alio, ideoque potest simul agere in diuersa subiecta eodem tempore applicata producendo in illis similes gradus; vnde patet esse differentiā in igne inter intensionem, & extensionem: in fructu verò satisfactionis sacrificij intensio & extensio sunt eiusdem rationis, & si semel omnes gradus applicentur eidem secundùm intensionem, euacuatur effectus sacrificij, ita vt alijs non possit applicari, quia solùm certus numerus graduum oritur ex sacrificio, qui perinde se habent cùm applicantur pluribus, ac vni, nec fiunt plures, sicut gradus caloris ab igne in diuersis subiectis producti.

Probatur secundò, potuit quidem Christus, non obstante ratione iam datâ, tribuere sacrificio fructum finitum intensiuè, infinitum tamen extensiuè quoad eos quibus applicatur; id enim ex eius voluntate in primâ institutione pendebat: v. g. potuit velle dare certos gradus satisfactionis conferendos ei cui sacerdos applicat sacrificium, qui secundùm pluralitatem eorum quibus applicatur, multiplicentur in integrum; quid enim impedit, quò minùs hoc facere potuerit, præcipuè cùm sacrificium hoc institutum sit vt offeratur pro pluribus; quod autem non fecerit patet à posteriori ex vsu Ecclesiæ. Nam primò, præcipit vt qui pro aliquo celebrare tenetur, illi soli fructum sacrificij applicet; quod esset omninò contra charitatem, si applicatum pluribus, non minùs prosit singulis; possent enim omnes absque prioris iniuriâ tantum fructus recipere. Secundò prohibet ne quis pluribus stipēdijs vnicâ Missâ satisfaciat, quod non alio motiuo factum est, nisi quia Ecclesia putat sacrificium hoc modo minùs profuturum singulis: hinc rectè Tridentinum *sess.* 25. *c.* 4. de reformatione, loquens de restrictione Missarum ad minorem numerum, sic ait: *ita tamen vt semper eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ad pios vsus reliquerunt.* vnde patet, Concilium plurimum fauere nostræ sententiæ, aliàs enim frustrà id præciperet. deniqùe vnicâ Missâ possent omnes viuētes, & animæ Purgatorij liberari ferè à totâ pœnâ; quod est incredibile, & contra reiteratione sacrificij, nobis à Christo & Ecclesiâ præceptâ.

Probatur tertiò, ex eo quòd sacerdos fructum pluribus applicat, non multiplicantur oblationes, sed manet vnica & eadem; ergò fructus finitus & determinatus illi solùm respondet, qui applicatus pluribus minùs prodest singulis.

21 Respondent aduersarij, fructum sacrificij finitum quidem esse quatenus respondet oblationi sacerdotis, quia tamen vltrà augetur ex maiori deuotione eorum quibus applicatur, eo modo quo fructus sacramentorum augetur ex maiori dispositione recipientium, rectè sequitur fructum hunc applicatum multis, non minùs prodesse singulis, secundùm scilicet cuiusq; cui applicatur deuotionem. Respondeo solutionem patere ex dubio sexto.

Fructus sacrificij tam generaliter applicatus, quàm specialiter, est finitus extensiuè.

22 Dico secundò, fructus sacrificij finitus est extensiuè respectu eorum quibus applicatur, non solùm quandò intentione speciali pro quibusdam particularibus; sed etiam cùm ex præcepto Ecclesiæ intentione generali pro multis offertur, vt pro Papa, Antistite, Rege, Circumstantibus, Parœcianis, &c. est contra *Sotum* & alios citatos in secundâ sententiâ. Sequitur tamen ex præcedenti conclusione, & expressè docet *Suarez suprà, & Nugnus* 3. *p. q.* 83. *a.* 1. *d.* 8. Probatur, quia est par ratio in vtroque, siue fructus applicetur quibusdam particularibus intentione speciali, siue alicui communitati intentione generali ex instituto Ecclesiæ: cùm enim totus fructus sacrificij constet quibusdam gradibus iuxta voluntatem, & institutionem Christi, illi ijdem & soli communicantur, siue fructus quibusdam particularibus applicetur, siuè toti alicui communitati, & per consequens respectu communitatis diuisus in plures, minùs prodest singulis. Deinde ratio Soti non vrget; quod enim ex Ecclesiæ instituto singulis istius communitatis applicetur, non facit quod sacrificio maior fructus respondeat. Vnde puto *Vasquez d.* 231. *c.* 3. *n.* 16. rectè inferre, quòd si secundùm Sotum fructus sacrificij ex intẽtione generali pluribus applicatus, non minùs prodest singulis, idem dicendum esse de intentione speciali, cùm sit par ratio.

23 Quæres, an positâ nostrâ sententiâ quòd sacrificium Missæ habeat effectum finitum, & quod applicatũ multis, minùs prosit singulis: possit celebrans constituere certos gradus & ordines, in quibus applicet fructum diuersis? v. g. obligatur celebrare pro Ioanne, an possit applicare fructum Ioanni in primo gradu & ordine, & vltrà sine præiudicio illius, in secundo gradu Petro, vt scilicet illi valeat quantum valere potest alteri ab eo pro quo principaliter celebrat; deinde Antonio in tertio gradu, &c. Hunc modum applicandi adinuenit *Scotus quodlib.* 20. *art.* 2. vbi nobiscum docet sacerdotem, cùm tenetur celebrare pro vno solo, non posse citra iniustitiam æquè principaliter celebrare pro pluribus; posse tamen licitè, si non æquè principaliter offerat pro alijs, sed in minori gradu, & ordine, vt scilicet illis valeat in secundo, & tertio gradu, quantum valere potest post eum, pro quo principaliter & in primo gradu offert, & sine illius præiudicio. Ratio ipsius est, quia obligatio quę fit in vno gradu, non præiudicat fructui appli-

Applicatio fructus per diuersos gradus & ordines à Scoto adinuenta reijcitur.

applicato in alio gradu; nec posterior gradus aliquid detrahit de priori. Sed hęc inuentio *Scoti* reijcitur *ab Adriano quodlib. 8. a. 3. lit. A.* & *Corduba. li. 1. q. 3. §. 2. deficit.* tanquam parùm conformis principijs ipsius; ipse enim nobiscum docet sacrificium applicatum multis, minùs prodesse singulis; & tamen vult nihil detrahi, & æquè prodesse illi cui principaliter applicatur, licet alijs pluribus etiam applicetur, in diuerso tamen gradu. hæc autem ratio diuersi gradus, & ordinis, licet admittenda esset, non obstat quin absolutè aliquid detrahatur à prioribus, quando posterioribus applicatur: ille enim totus fructus qui applicatur in primo, secundo, & tertio gradu est fructus medius prouenieris eis pro quibus offertur sacrificium: si igitur offerens applicet totum fructum medium vni soli, certum est quod totum illum recipiet, & maiorem quàm si in alijs gradibus applicaretur vlteriùs idem fructus medius, quia ille absolutè detrahi debet de fructu applicando ei pro quo principaliter celebrat. Meliùs igitur dicendum est illas supputationes, & diuersitates graduum esse fictitias in omni sententiâ; concedimus quidem *Scoto* offerentem posse applicare fructum sacrificij alicui tertio, vt ei prosit sine præiudicio illius pro quo ex obligatione celebrat, & quantùm prodesse potest post hunc principalem; sed tunc fructus huic applicandus non est medius, vt vult *Scotus*, sed est fructus specialissimus qui prouenit ipsi offerenti, & quo se frustrat vt applicet alteri. quod fieri posse dictum est suprà. Deinde possunt adiungi plures in sacrificio, maximè in vtroque *Memento*, sed pro illis fiunt solùm orationes, nec applicatur fructus ex opere operato, vt suprà etiam dictum est.

DVBIVM QVINTVM.

An fructus sacrificij quoad impetrationem applicatus multis, minùs prosit singulis?

PRima sententia est, fructum impetrationis respondentem non modo sacrificijs, sed & orationibus applicatum pluribus, æquè prodesse singulis. Ita *quidam Præpositiuus*, quem citat, & sequitur *Ayguanus in versum 2. Psalm. 27.* & ratio reddi potest, quia sacrificia, & orationes quoad effectum impetrationis nituntur infinitæ Dei misericordiæ, & liberalitati; ergò non minus impetrabunt pro pluribus, ac pro vno. Hos plures sequuntur. 24 *Quidam affirmant fructum impetrationis sacrif. ij non minus prodesse singulis.*

Secunda

25 Secunda sententia est, sacrificium etiam quoad effectum impetrationis applicatum pluribus, minùs prodesse singulis. Ita expressè *Scotus quodlib. 20. a. 1. Couar. c. Alma mater. p. 1. §. 5. n. 9.* vbi plures Doctores veteres citat idem affirmantes. Pro quo

Alij negant.

26 Nota primò, aliter loquendum esse de sacrificio, aliter de oratione extra sacrificium: cùm enim in hoc sacrificio Christus infinitæ dignitatis offeratur, & per illud eiusdem passio Deo Patri repræsentetur, quâ maximè mouetur ad quælibet beneficia nobis concedenda, multò maioris est virtutis quoad effectum impetrationis, quàm orationes seorsim fusæ. Dicitur autem sacrificium impetratorium, ideò maximè, quia tribuit virtutem impetrandi orationibus illi coniunctis; impetratio enim maximè pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri.

27 Nota secundò non solùm sacrificij dignitatem, sed etiam sanctitatem, deuotionem, & affectum sacerdotis offerentis plurimum præstare ad effectum impetrationis: Deus enim multum ponderat, & æstimat sacrificia, & orationes iustorum, maximè si magno affectu fiant, & magis merentur exaudiri.

28 Nota tertiò, fructum sacrificij quoad impetrationem multum differre à fructu satisfactionis: per sacrificium enim conferuntur solùm quidam gradus satisfactionis taxati à Deo, idque certò, & infallibiliter in subiecto capaci, ita vt citra iniustitiam negare non possit ratione promissionis. quoad impetrationem verò nulla est taxatio, nulla promissio infallibilis, sed tota dependet ex diuinâ liberalitate, quæ secundùm quod expedire iudicauerit postulata per sacrificium concedit, quandoque magis, quandoque minus. Hoc posito

29 Dico primò, sacrificium Missæ quantùm est ex se, habet virtutem impetrandi quælibet beneficia, nec eius virtus eâ in re potest exhauriri, ita vt dici possit habere virtutem syncategorematicè infinitam quoad impetrationem. quod potest explicari dupliciter; primò, quia siue pauci, siue multi illud offerant, æqualem fructum impetrationis recipiunt, nec minuitur fructus ratione pluralitatis; immò quo maior est sanctitas, & deuotio in singulis, eo faciliùs, & copiosiùs impetrant postulata. Secundò, quia licet verum sit celebrátem non æquè impetrare plura beneficia vnicâ oratione generali, quã huic sacrificio coniungit; si tamẽ diuersis actibus, & orationibus singula postulet in particulari, illa omnia æquè facilè impetrabit, ac si vnicum beneficium postulasset, idque ratione dignitatis sacrificij, quod dignificat singulas illas orationes in particulari, tribuendo singulis specialem virtutem impetrationis.

Sacrificium quantum est ex se, habet virtutẽ impetrandi infinitam syncategorematicè.

Dico

Dico secundò, si impetrationem sacrificij attendamus in ordine ad infinitam Dei misericordiam, & liberalitatem, dici potest sacrificium habere etiam, & maximè virtutem infinitam ad impetrandum; & sub eâ ratione verum est æquè impetrare posse plura, quàm pauciora, & oblatum pro multis æquè prodesse singulis. Ratio est, quia cùm misericordia, & liberalitas diuina sit infinita, æquè tribuere potest multa, ac pauciora. 30

Sacrificium dici potest habere virtutē infinitā ad impetrādum, spectatā liberalitate diuinā.

Dico tertiò, in ratione impetrationis aliud est loqui de eo quod impetratur communiter per sacrificium, aliud de eo quod quandoque. Ratio est, quia communiter requiritur aliqualis proportio inter causam impetratoriam, & rem impetratam; seu inter orationem vt coniunctam sacrificio, & id quod postulatur, vt rectè docet *Scotus quodlib. 20. art. 1.* quem sequuntur *Suarez disput. 79. sect. 11. Mercerus q. 83. d. 8.* vnde cùm sacrificium coniunctum orationi, illi tribuat magnam virtutem, & dignitatem, habet ex consequenti maiorem proportionem ad plura, & maiora impetranda. Item quo celebrans est maioris sanctitatis, & meliori cum affectu offert sacrificium, eò plura beneficia impetrare potest, ratione eiusdem proportionis. Vnde sequitur absolutè loquendo sacrificium Missæ oblatum pro multis non æquè prodesse singulis quoad impetrationem, sicut de fructu satisfactionis dictum est; nec æquè impetrare plura beneficia, ac pauciora. quod expressè docet *Vasquez disp. 231. cap. 3.* & plures citat. Confirmatur amplius, quia sicut in opere meritorio, & satisfactorio requiritur proportio inter causam, & effectum; ita & in opere impetratorio; quia licet sit quædam ratio diuersitatis in hoc quod opus meritorium, & satisfactorium habeat rationem condigni: impetratorium verò solùm congrui; in omnibus tamen confertur effectus intuitu eorum: ergò in illis omnibus vbi præstantior erit causa, erit & præstantior effectus, ratione dictæ proportionis; cùm hâc tamen differentiâ, quòd in opere meritorio, & satisfactorio conferatur certò, & infallibiliter; in impetratorio verò, solùm secundùm beneplacitum diuinum. licet enim sacrificium iunctum orationi habeat proportionem cum re postulatâ, non consequitur tamen infallibiliter effectum, sed quandoque secundùm iudicium diuinæ prouidentiæ id denegatur. 31

Aliud est quod impetratur communiter per sacrificium, aliud quod quandoque.

Inter causā impetrantē, & rem impetratam debet esse proportio.

Licet autem communiter requiratur proportio quædam inter causam impetratoriam, & rem impetrandam; quandoque tamen non seruatâ illâ proportione Deus confert plurima beneficia virtute sacrificij, sicut & aliarum orationum; & tunc effectus respondet soli illius liberalitati: sic quandoque Deus decreuit misereri totius populi, si quidam aut vnus 32

tantùm oret inter eos. Ieremiæ 5. *Circuite vias Ierusalem & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem & propitius ero ei* Ezechielis 22. *quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam; & non inueni.* & in eo casu effectus impetrationis non tribuitur vllo modo causæ impetranti, sed diuinæ liberalitati, quæ licet omnino gratis intendat effectum conferre, vult tamen quasi prouocari à causâ quasi impetratoriâ, & cum aliquali respectu ad illam effectum suæ misericordiæ conferre. plura hac de re l. 2. in materiâ de suffragijs dicentur.

Quoad rationem de infinitâ liberalitate diuinâ, quam adfert prima sententia, iam dictum est, ratione illius quandoque à Deo conferri plura beneficia; communiter tamen exigit etiam ex parte causæ impetratoriæ quandam proportionem, cum re impetrandâ, & sub eo respectu non æquè impetratur res parua, ac magna.

DVBIVM SEXTVM.

An fructus sacrificij Missæ ex opere operato augeatur ex maiori deuotione sacerdotis offerentis?



NOn est dubium quin fructus ex opere operantis augeatur ex maiori deuotione sacerdotis offerentis, cùm totus respondeat, & commensuretur eius deuotioni. quoad fructum autem ex opere operato, diuersa sunt placita.

33 *Quidã volunt fructũ sacrificij ex opere operato augeri in sacerdote ex maiori deuotione.*

Prima sententia est, sacrificium producere maiorem effectum ex opere operato pro maiori deuotione sacerdotis offerentis. Ita *Caietan. 3. p. q. 79. art. 5. & tom. 2. tract. 3. q. 2. Sylu. verbo Missa q. 9. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. Aragonius 2. 2. q. 85. a. 3. Vasquez disp. 231. cap. 7. Henriquez l. 9. c. 18.* citatur pro eadem sententiâ *Diuus Thomas*, cuius mentem infrà examinabimus. fundamentum ferè omnium est, quia fructus sacrificij non est à Deo determinatus; determinatur autem, & quantificatur per deuotionem offerentium, & eorum pro quibus offertur; ergò vbi in offerente erit maior deuotio, & dispositio, exurget maior fructus ex opere operato.

34 *Alij negant.*

Secunda sententia est opposita, fructum sacrificij ex opere operato semper esse æqualem, nec augeri, vel minui pro maiori, vel minori deuotione offerentis. ita *Azorius l. 10. c. 20. quæsit. 9.* vbi pro se citat *D. Thomam Bonauenturam*

uenturam, Richardum, Scotum, Durandum & alios Probat suam sententiam *Azorius*, ex eo quòd contraria sententia pugnet cum Ecclesiæ vsu, & communi sensu; sic enim liceret vnâ Missâ pluribus satisfacere, eo ipso scilicet quo singulis prodesset secundùm deuotionem quâ suo modo concurrunt ad sacrificium. Pro resolutione

Nota in nostrâ & plurimorum sententiâ, sacramenta habere ex sui institutione fructum finitum, & determinatum ex opere operato; quo tamen non obstante fructus ille augetur ex maiori dispositione recipientis sacramenta: cuius ratio præcipua est, quia sicut agens naturale in subiecto meliùs disposito producit effectum perfectiorem: ita Deus tanquam agens supernaturale in collatione gratiæ, & aliorum effectuum sacramentorum producit fructum perfectiorem in subiecto magis disposito per maiorem affectum, & deuotionem: quod satis colligitur ex Tridentino *sess. 6. can. 7.* suprà relato, dicēte per baptismum gratiam nobis infundi vnicuique non solùm secundùm mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, sed etiam secundùm propriam vniuscuiusque dispositionem, & coöperationem. Quæritur autem an dicendum etiam sit sacrificium Missæ operari effectum perfectiorem conformiter ad maiorem dispositionem, & deuotionem sacerdotis offerentis. quâ in re melius vtendum est distinctione, assignando scilicet differentiam inter fructum respondentem sacerdoti vt personæ publicæ, & priuatæ. Vnde 35

Fructus sacramentorū ex opere operato licet sit determinatus augetur tamē ex maiori dispositione.

Dico primò, fructus sacrificij ex opere operato respondens sacerdoti quatenus in personâ Christi, seu vt eius minister offert, ita est determinatus, vt nunquam augeatur, vel minuatur secundùm maiorem, vel minorem deuotionem illius. ita intelligendi sunt auctores secundæ sententiæ; & in particulari *Diuus Thomas quæst. 82. art. 6.* vbi duo docet: Primum, quod orationes factæ in Missâ à sacerdote nomine Ecclesiæ tanquam ministro eius sunt æquè fructuosæ, siue à malo, siue à bono fiant, vt explicat *Caietanus ibidem.* Secundum, quod non minus valeat Missa sacerdotis boni, quàm mali; quia, inquit *Caietanus*, minister Christi, & Ecclesiæ in sacrificio, & orationibus eundem fructum consequuntur siue sint boni, siue mali. Eandem sententiam docet *Suarez disp. 79. sect. 8.* Probatur primò, sacerdos offerens sacrificium in personâ Christi, & Ecclesiæ, agit nudum ministerium, & vices illius, & fructus prædictus ex opere operato illi sub eâ solùm ratione respondet: ergò non attenditur eius dignitas, sanctitas, ac proinde nec deuotio, sed solius Christi cuius vices gerit; proindeque fructus ille non variatur pro maiori, vel minori sanctitate, aut deuotione sacerdotis, sed semper similis est, siue sacerdos sit bonus, siue 36

Fructus respondens sacerdoti vt persona publica non augetur ex maiori deuotione.

 malus.

malus: Confirmatur, si fructus hic non necessariò exigit sanctitatem sacerdotis, vt fatentur, quomodo ex maiori deuotione augebitur, cùm si sanctitas non est necessaria, non erit etiam actualis deuotio; si autem deuotio non est necessaria, nullo modo fructus augeri poterit ex maiori deuotione, eo ipso quo nulla est necessaria coniunctio, & dependentia vnius ab alio.

Probatur secundò, minister sacramentorum per propriam deuotionem non facit quòd recipiens sacramenta recipiat maiorem fructum ex opere operato, quia fructus nullam habet dependentiam ab eius deuotione, sed sacerdos nudum ministerium exequitur: Ita cùm sacerdos tanquã minister Christi, & Ecclesiæ in eius persona offert sacrificium, fructus oblationi sub eo respectu correspondens non dependet ab eius deuotione, sed ex solâ institutione Christi, qui tantùm fructum ex oblatione, suo, & Ecclesiæ nomine factâ vult conferre, absque vllâ eius variatione.

Probatur tertiò, ex refutatione fundamenti primæ sententiæ. falsum enim est fructum sacrificij ex opere operato determinari, & quantificari ex deuotione offerentium, & eorum pro quibus offertur, cùm in nostrâ sententiâ sit omnino ex se determinatus à Christo; vnde cùm deuotio non requiratur ad determinandum fructum, non habebit etiam virtutem illum augendi, cùm, vt dictum est, sit actus purè ministerialis.

37 Dico secundò, fructus sacrificij ex opere operato respondens oblationi sacerdotis in priuatâ personâ, augetur, vel minuitur iuxta maiorem, vel minorem deuotionem illius. & idem dicendum est de priuatis oblationibus laicorum coöfferentium sacerdoti, qui exinde recipiunt etiam fructum ex opere operato, vt *disp. 4. q. 4. d. 2.* dicetur. ita *D. Thomas q. 79. a. 5.* vbi ait: *hæc oblatio fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis.* & *q. 83. art. 4. ad 8.* vbi loquens de hoc sacrificio, & antiquis, ait: *petit sacerdos vt sit hoc sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.* Quibus locis videtur loqui, tum de priuatis coöfferentibus, tum etiam de sacerdote offerente in priuatâ personâ, quia aliàs videretur sibi contrarius loco citato, conclusione primâ, vbi dicit Missam mali sacerdotis esse æquè fructuosam quàm boni, quatenùs scilicet, vt dictum est, induit personam publicam vt minister Christi. Idẽ docet *Suarez* suprà & de priuatis coöfferentibus affirmat *Caietanus tom. 2. tract. 3. q. 2.* & pro probatione suppono in priuatis offerentibus requiri statum gratiæ, ad hoc vt fructum aliquem ex opere operato cõsequantur. hoc posito, Probatur conclusio primò: Oblatio hæc non fit in personâ Christi, nec Ecclesię, sed priuatę, & eatenus habere debet ali-

Fructus respondens oblationi in personâ priuatâ augetur.

quam

quam dispositionem (scilicet ad minùs statum gratiæ) ad fructuosè offerendum. Ergò vbi maior erit dispositio & deuotio, maior etiam fructus ex opere operato conferetur. Confirmatur, sacramenta, eo ipso quo requirunt dispositionem in recipiente, vbi melior est dispositio, effectum perfectiorem ex opere operato producunt. Ita dicendum est de priuatâ oblatione sacrificij, tum sacerdotis, tum laicorum, quæ quia requirit dispositionem offerentis, produceret etiam maiorem vel minorem effectum iuxta maiorem vel minorem deuotionem.

Probatur secundò ex Canone Missæ: *& omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est & nota deuotio, in primis quæ tibi offerimus. vel qui tibi offerunt.* vbi expresè fit mentio deuotionis circumstantium coöfferentium, quo videtur insinuari quòd deuotio coöfferentium conferat ad maiorem fructum sacrificij. quod *Caietanus* etiam colligit loco citato.

Probatur tertiò, hic modus loquendi est conformior suauissimæ prouidentiæ diuinæ: sic enim homines excitantur ad deuotiùs offerendum sacrificium, cùm ex maiori deuotione crescat fructus etiam ex opere operato.


Dices aliam esse rationem sacramentorum, aliam sacrificij: sacramenta enim consistunt in receptione, ideóque non est mirum, effectum eorum ex opere operato augeri conformiter ad maiorem dispositionem subiecti, ad modum formæ naturalis, quæ in subiecto meliùs disposito perfectior producitur: sacrificium verò consistit in actione, cui non videtur similitudo hæc applicari posse. Respondeo, similitudinem eatenus habere vim, quatenus, sicut in naturalibus perfectio formæ mensuratur secundùm dispositionem subiecti: ita perfectio effectus attenditur secundùm perfectionem actionis. Sicut igitur sacramenra quæ consistunt in receptione, comparantur causis naturalibus producentibus formam in passo: sic sacrificium quod consistit in actione assimilatur causæ efficienti, ergò sicut sacramenta producunt effectum perfectiorem ex opere operato in subiecto meliùs disposito: ita sacrificium producit effectum perfectiorem ex opere operato, vbi actio sacrificij seu oblatio est perfectior, seu quando maiori cum deuotione offertur sacrificium: est enim par ratio in vtroque; si enim Deus in supernaturalibus imitatur naturam in vno, cur non & in alio? 38.

Quoad rationem Azorij, quatenus contra dicta militat, soluitur ex dubio sequenti. Vnde sit

DVBIVM SEPTIMVM.

An fructus sacrificij Missæ ex opere operato augeatur ex maiori deuotione eorum pro quibus offertur sacrificium?

39 *Quid sentiunt fructũ sacrificij augere ex maiori deuotione eorũ quibus applicatur.*



Rima sententia est, fructum sacrificij ex opere operato augeri ex maiori dispositione eorum pro quibus offertur, vel, vt alij loquuntur, quantificari ex eorum deuotione. ita *Caietanus, tom. 2. tract. 3. q. 2. Syluester verbo Missa q. 9. Corduba l. 1. q. 3. Aragon. 2.2. q. 85. a. 3. Vasquez disp. 231. c. 7. Hurtado disp. 4. diff. 12. &c.* & pro se citãt *D. Thomam, varijs locis.* Hi autem omnes diuersimodè hanc suam sententiam explicãt. *Caietanus* enim secundùm explicationem datam dubio tertio, docet deuotionem eius pro quo offertur sacrificium, quantificare fructum illius, non quatenus est subiectum recipiens effectum, sed quatenus suâ deuotione coöperatur, & concurrit suo modo ad sacrificium, puta assistendo, ministrando, procurando, &c. non explicat tamen an vltra fructum quem recipiunt iuxta propriam deuotionem dictam, respondeat etiam alius iuxta sacerdotis offerentis deuotionem. Ideò *Aragonius* addit fructum quantificari secundùm deuotionem eorum pro quibus offertur sacrificium, & ipsius sacerdotis offerentis; sic tamen vt illi pro quibus offertur non recipiant nisi fructum respondentem propriæ deuotioni: fructus verò respondẽs deuotioni sacerdotis, remanet ipsius, & potest vlterius illum applicare cui voluerit. *Vasquez* verò vult fructũ determinari solùm ex deuotione eorum pro quibus offertur. Ratio ipsius est, quia sacrificium operatur instar sacramentorum, quæ iuxta dispositionem recipientium maiorem vel minorem effectum producunt. Cui consonat *Corduba*, cum hâc tamen differentiâ, quòd velit quamlibet recipientis deuotionem quantificare fructum, siue sit illa quâ concurrit ad sacrificium, siue non.

40 *Alij contrà negant.* Secunda sententia est contraria, fructum sacrificij nullo modo augeri ex maiori deuotione eorum pro quibus offertur; ita *Suarez disp. 79. sect. 10. Mercerus q. 83. d. 8.* & idem affirmare debent omnes nostræ sententiæ dubijs præcedentibus. Pro quo

41 Nota primò, bene distinguendum esse fructum respondentem deuotioni quâ priuati concurrunt ad sacrificium cum sacerdote, & eum quem recipiunt quatenus sacerdos pro illis offert, vt suprà dictum est; vnde licet

dubio

dubio præcedenti dictum sit fructum priorem augeri ex maiori deuotione, non sequitur tamen posteriorem etiam taliter augeri, cùm respectu illius requiratur solùm capacitas in subiecto, cui applicatur, id est status gratiæ, non tanquam vera dispositio respectu illius, sed solùm tanquam remouens prohibens. Vnde placet distinctio *Caietani* (licet non in eo sensu quo illam accipit) quâ distinguit duplicem deuotionem; quarum vna se tenet ex parte eius cui applicatur fructus sacrificij, & eum recipit nudè absque vllâ concurrentiâ ad illud; & hanc dicit nil conferre ad quantificationem, & augmentum fructus, sed se solùm habere vt remouens impedimentum: altera est illa, quâ priuati coöperantur, & concurrunt ad sacrificium cum sacerdote; & hanc dicit augere fructum sacrificij. Et ratio *Caietani* bene ponderanda est hæc, quia *sacrificium non operatur per modum agentis, vt sacramenta, seu per modum oblationis; sed se tenet ex parte concurrentium ad tale sacrificium causaliter, quomodolibet sit causalitas ista, puta petendo, ministrando, consulendo, adiuuando, fauendo, &c.* vnde patet in aduersariorum etiam sententia non esse receptam sententiam dictam *Cordubæ*, qui vult quamlibet deuotionem, siue concurrentem, siue non concurrentem, ad sacrificium sufficere; cui non absimilis est *Syluest. supra*, in quam sententiam vult etiam *D. Thomam* inuitum trahere, sed frustrà. Et ratio cur hæc sententia non placeat est, quia deuotio augens, seu quantificans fructum sacrificij, debet habere quendam ordinem, respectum, & causalitatem ad ipsum sacrificium, & fructum eius, vt illum dici possit modificare, & augere; qualis est sola deuotio quâ quis suo modo concurrit ad sacrificium: eo modo quo in naturalibus non quælibet dispositio passi confert ad maiorem perfectionem formæ introducendæ, sed illa sola quæ habet quendam ordinem ad formam. Hoc posito

Sola deuotio concurrens ad sacrificiū potest augere fructū illius.

42 Dico primò, fructus sacrificij ex opere operato nō augetur ex deuotione eorum quibus applicatur. Probatur primò, quia sacrificiū in hoc differt à sacramentis, quòd sacramenta se habeant per modū receptionis, proindeque fructus eorum augetur iuxta maiorem dispositionem in recipiente ad modum formæ naturalis, quæ in subiecto meliùs disposito perfectior producitur: sacrificium verò habet se per modum actionis, sicque maior deuotio augens fructum, se tenet ex parte causæ effectiuæ, seu concurrentis ad sacrificium, *vt rectè Caietanus suprà*; vnde cùm illi quibus applicatur fructus sacrificij, sub eo respectu nullam habeant concurrentiam ad sacrificium, sed habeât se merè passiuè, eorum deuotio non potest augere fructum sacrificij quem recipiunt, sed ad summum potest tollere impedimentum, & reddere subiectum capax recipiendi fructum. Vnde in hoc deficit

Fructus sacrificij non augetur ex deuotione eorū quibus applicatur.

deficit *Vasquez suprà*, cùm pro fundamento suæ sententiæ comparat sacrificium sacramentis.

Probatur secundò; fructus sacrificij quem sacerdos alijs applicat, totus dependet à sacerdote, & eius intentione illum applicante alijs, non autem ab aliquâ dispositione eorum quibus applicatur, quia independenter ab illâ applicatione, fructus sortitur suam naturam, & applicatio hæc habet rationem solùm cuiusdam donationis. Sicut igitur in donatione quãtitas rei datæ non dependet ab eo cui fit donatio, sed solùm ab intentione, & voluntate dantis: ita fructus sacrificij tantus erit in eo cui applicatur, quantùm sacerdos intenderit, & voluerit ei donare, & applicare. & hoc est quod intendit *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1.* cùm docet suffragia prodesse alijs secundùm quod intentio suffragantium refertur ad ipsos: ita vt scilicet tantum applicetur quantum intendit applicare. Nec est quod dicat *Vasquez* explicando *D. Thomam*, aliud esse de fructu suffragiorum, aliud de fructu sacrificij; vterque enim fructus est in dispositione suffragantis, & celebrantis, & applicatur pro voluntate, & in eâ quantitate quâ voluerint, modò subiectum sit capax.

43 Dico secundò, quandò sacerdos applicat fructum sacrificij ijs qui concurrunt etiam ad illud, eorum deuotio determinat, & auget fructum respondentem propriæ oblationi, non autem eum, qui eis à sacerdote applicatur. Patet ex dictis, quia ad priorem fructum eorum deuotio concurrit causaliter, ideoque vbi maior erit hæc deuotio, maior erit fructus ei correspondens; ad posteriorem verò habet se solùm passiuè.

Deuotio concurrentiũ ad sacrificium solùm auget propriũ fructum, non eum quem sacerdos eis applicat.

DVBIVM OCTAVVM.

An distractio in sacerdote offerente impediat fructum sacrificij ex opere operato, & operantis?



AD complementum huius disputationis dubium hoc adiunximus, tanquam ex parte dependens ex doctrinâ iam explicatâ. Duo igitur explicanda sunt: Primum, an fructus sacrificij ex opere operantis impediatur per distractionem sacerdotis offerentis. Secundum, an etiam fructus ex opere operato.

Quoad primum, nota ex *D. Thomâ 2.2. q. 83. a. 13.* tres esse fructus, seu
44 effectus orationis, & per consequens sacrificij ex opere operantis; vel vt meliùs

meliùs dixerim, quatuor; nam sub effectu meriti comprehendit meritum gratiæ, & satisfactionis. Primus igitur effectus orationis, seu sacrificij est meritum gratiæ tam habitualis, quàm actualis, ac proinde etiam gloriæ, quia est opus bonum virtutis religionis procedens à charitate, vt ait idem *art.* 15. Secundus est satisfactio pro pœnâ, quatenus est opus pœnale. Tertius est impetratio, quæ maximè conuenit orationi, & sacrificio Missæ. Quartus est refectio mentis, vt vocat *D. Thomas*, quam, deuotionem alij vocant, quæ consistit in illuminatione quâdam intellectus, & suaui affectione voluntatis, quo fruuntur maximè illi qui magnâ cum pietate in Deum feruntur in orationibus, & sacrificijs.

Nota secundò, eum qui celebrat, vel orat distractus voluntariè, non modò nullum fructum consequi, sed & grauiter peccare. Quæstio igitur est, an sacerdos celebrans cum distractione, vel omninò inuoluntariâ, vel ex quâdam negligentiâ veniali, priuetur fructibus, & effectibus prædictis. & quoad dictam refectionem spiritualem, certum est eâ priuari, cùm experientiâ constet distractum nullâ mentis suauitate affici; & hoc siue distractio sit culpabilis, siue non.

45 Dico primò, sacerdos celebrans cum distractione inculpabili, & deuotione virtuali, non frustratur omni fructu satisfactionis ipsius sacrificij ex opere operantis. ita expressè *Nauar. in Manu. c. 13. n. 3. & 18.* & alij communiter. Probatur, intentio, & deuotio virtualis sufficit ad producendum actum moralem, quia intentio, & deuotio actualis præhabita influit moraliter in ipsum actum, & eum reddit moralem, & humanum, licet cum mentis euagatione fiat, vt patet in sacerdote qui distractus verè consecrat: sicut igitur actus ille est moralis, ita etiam est pœnalis, proindeque erit satisfactorius.

Sacerdos celebrans distractus inculpatè recipit fructū satisfactionis ex opere operantis.

46 Dico secundò, sacerdos celebrans quamdiu est distractus, nullum nouum meritum gratiæ, & gloriæ consequitur, præter eum qui respondet primæ intentioni, & deuotioni actuali. ita *Suarez tom. 2. de religione lib. 3. de orat. vocali. c. 5. n. 9. Bonartius de horis canonicis c. 19. &c.* Probatur, assignando differentiam inter rationem meriti, & satisfactionis in hoc, quòd ratio meriti gratiæ, & gloriæ tota oritur ab actu interiori, ita vt actus exterior nullam dicat bonitatem moralem in ordine ad meritum, nisi eam quam participat ab actu interiori. Quoad satisfactionem verò, cùm actus exterior dicat pœnalitatem sibi propriam, quæ in satisfactione maximè consideratur, ideò quandò est moralis, & humanus, non desinit habere effectum proprium satisfactionis sibi respondentem: cùm enim sacerdos celebrat distractus inuoluntariè cum deuotione virtuali, eo ipso quo

Non recipit tamen fructum meriti gratiæ, & gloriæ, nisi respondentem primæ deuotioni actuali.

initio habuit intentionem, & deuotionem actualem, virtute cuius tota actio exterior sacrificij fit, & moralis redditur, tota actio sacrificij, licet sit cum distractione, est in se satisfactoria, & continuò augetur ratio satisfactionis quamdiu durat, quia semper est moralis, & pœnalis. Non sic in ratione meriti gratiæ, & gloriæ, quia totum meritum actus exterioris oritur ex merito actus interioris, & est idem vtriusque: cùm igitur sacerdos incipit celebrare cum intentione, & deuotione actuali, tunc actui interiori, & exteriori respondet meritum gratiæ, & gloriæ; cùm verò in continuatione oritur distractio, desinit actualis deuotio, & manet sola virtualis, sicque actus interior pro tunc non est moraliter bonus, proindeque nec bonitatem aliquam tribuere potest actui exteriori sacrificij, & sic quamdiu durat distractio, sacerdos nullum nouum fructum meriti recipit, sed illud tantùm quod respondet deuotioni actuali præhabitæ. Nec hæc conclusio est contraria *D. Thomæ suprà*; solùm enim vult totam actionem sacrificij esse meritoriam, quatenùs censetur vnus actus procedēs ex deuotione actuali, qui quia initio erat meritorius, totum sacrificium denominatur meritorium denominatione extrinsecâ.

47 Dico tertiò, sacerdos celebrans distractus inuoluntariè non frustratur ideò fructu impetrationis ex opere operantis. ita *D. Thomas suprà*, & alij cōmuniter. Probatur primò: non est verisimile Deum voluisse nos obligare continuò ad deuotionem actualem ad aliquid ab eo impetrandum, cùm illa sit moraliter impossibilis: ergò putandus est non desinere conferre effectum impetrationis, licet non adsit nisi deuotio virtualis. Confirmatur, inter conditiones quæ communiter requiruntur in oratione ad effectum impetrationis, actualis attentio nunquam numeratur.

Recipit etiã fructum impetrationis.

48 Dico quartò, sacerdos celebrans cum distractione veniali nullum fructum ex opere operantis recipit meriti, satisfactionis, & impetrationis. ita *Suarez & Bonart. suprà*. Quod intellige pro eâ parte sacrificij in quâ passus est eas distractiones ex negligentiâ veniali. Probatur: actio sacrificij, & orationes in eo fusæ tunc sunt peccaminosæ, cùm distractio sit circumstantia mala afficiens, & inficiens ipsum sacrificium, & orationes, ideoque nullus omninò fructus illis respondere potest, cùm actioni in se malæ, licet venialiter solùm, nullus fructus, sed pœna respondeat. Hinc *Bonauentura l. de perfectione vitæ cap. 5. valdè indecens est vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur mente. talis oratio nunquam exauditur à Deo.*

Celebrans distractus venialiter nullum fructũ recipit.

49 Quoad secundum autem, an distractio impediat fructum ex opere operato, maior est difficultas. *Caietanus ad q. 79. 3. p. D. Thomæ a. 1.* est valde singularis hâc in re; docet enim eum qui sacramentum Eucharistiæ percipit

Sententia Caietani.

pit distractus, nullum tunc recipere effectum sacramenti, sed primâ accedente deuotione recipere effectum sacramẽtalem iuxta deuotionem illam superuenientem. Ex quo consequenter dicere debet, sacerdotem qui pro se offert sacrificium cum distractione, nullũ tunc recipere fructum, quem tamen recipiet primâ datâ deuotione erga illud. Quæ sententia fundatur in duplici doctrinâ *Caietani*: primò, quia sacrificium, sicut & sacramenta, nullum habet ex se determinatum effectum, sed determinatur ex deuotione offerentium: cùm igitur nulla adsit deuotio in offerente distracto, nullus proinde exurgere potest fructus. Secundò, quia sicut fructus sacramentorum, ita & sacrificij, apud ipsum, reuiuiscit sublato obice: distractio autem licet non sit obex positiuus, vt peccatum mortale, est tamen priuatiuus, quia scilicet sacrificium non reperit dispositionem requisitam ad producendum fructum in subiecto distracto, ideoque sublato hoc obice, id est, adueniente posteà deuotione reuiuiscet fructus iuxta mensuram deuotionis superuenientis.

50 Dico igitur quintò, distractio venialis in sacerdote offerente sacrificium non impedit collationem fructus ex opere operato respondentem oblationi in personâ publicâ, seu Christi. colligitur ex *D. Thomâ q. 79. a. 8. Palatio in 4. dist. 12. disp. 4. Soto d. 11. q. 2. a. 8. Adrian. q. 1. de Eucharistiâ, & alijs*, cum quibus suppono contra *Caietanum suprà*, sacramentum Eucharistiæ conferre suum effectum habitualis gratiæ, licet mente distractâ, & cum peccato veniali recipiatur, vt expressè *D. Thomas a. 8. citato, in corpore, & ad 1.* docet, quidquid velit aliter eum contorquere *Caietanus*. & ratio est, quia commune est omnibus sacramentis, vt ex institutione diuinâ conferant gratiam ex opere operato omnibus non ponentibus obicem, independenter ab omni dispositione actuali ex parte recipientium, qui obex per solum peccatum mortale ponitur, non autem per venialem distractionem; quia sicut peccatum veniale consistere potest cum gratiâ, ita non impedit collationem gratiæ ex opere operato. de quo vide plura apud Auctores citatos. Hoc posito, Probatur conclusio primò, sicut Eucharistia, & alia sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem per peccatum mortale: ita sacrificium Missæ confert suos effectus ex opere operato non ponẽtibus obicẽ peccati mortalis; & per cõsequens distractus venialiter recipit effectum non obstante peccato veniali. Confirmatur, effectus sacrificij ita est infallibilis ex institutione diuinâ, & independens à dispositione actuali offerentis, vt sacerdote existente in mortali, adhuc efficaciter fructum alijs applicet: ergò si non exigit statum gratiæ in offerente, nec impeditur per peccatum mortale, multò minùs impedietur

Distractio venialis non impedit collationẽ fructus ex opere operato respondentis personæ publicæ.

per distractionem venialem. Dices esse rationem diuersitatis inter celebrantem in mortali, & eundem celebrantem in gratiâ cum distractione veniali, quia in priori licet sacerdos sit malus, actio tamen sacrificij potest esse bona, & facta cum debitis circumstantijs, licet à personâ odiosâ: actio verò quæ fit cum distractione veniali, in se est mala, ob circumstantiam malam, ideoque non videtur quomodo illi tanquam actioni malæ, & peccaminosæ possit respondere fructus aliquis. Respondeo, ad hoc vt sacramenta, & sacrificium habeant suum effectum, sufficit vt fiat substantia sacramenti, & sacrificij, cui infallibiliter respondet fructus, modò aliundè non ponatur obex: ita vt sicut licet sacerdos baptizet ob finem mortalem, adhuc confertur effectus baptismi: ita licet celebret cum distractione veniali, à potiori non desinit applicari fructus sacrificij in subiecto capaci. De quo vide plura *disp. 4. q. 3. d. 1.*

Probatur secundò conclusio, euertendo fundamenta contrariæ opinionis: falsum enim est fructum sacramentorum, & sacrificij esse indeterminatum in primâ institutione, ideoque non est opus actuali deuotione ad determinationem illius; cùm *hâc disp. d. 2.* dictum sit esse omninò finitum & determinatum, qui confertur infallibiliter, modò non sit verus obex peccati mortalis. Deinde falsum est fructum hunc sublato obice reuiuiscere. de quo *disp. 5. q. 2.*

51 Dico sextò, distractio inculpata multò minùs impedit collationem fructus sacrificij ex opere operato. Sequitur ex dictis; si enim distractio venialis, quæ reddit actum in se vitiosum, non impedit collationem fructus, multò minùs impedire potest distractio inculpata, quæ nullam habet rationem vitij, sed solùm defectum attentionis, & deuotionis, quæ etiam inuoluntaria est.

Distractio inculpata non impedit fructum ex opere operato.

52 Dico septimò, distractio venialis in substantialibus sacrificij, impedit collationem fructus ex opere operato, qui respondet priuatæ oblationi sacerdotis, & laicorum coöfferentium. sequitur ex fundamento iacto *dubio 6.* Ratio est, quia ad hoc vt oblationi sacerdotis in priuatâ personâ, & aliorum coöfferentium respondeat fructus ex opere operato, requiritur actualis deuotio, cui fructus hic commensuretur, cùm independenter ab illâ nullus sit taxatus, vt dictum est: sed in oblatione factâ cum distractione veniali nulla est actualis deuotio; ergò nullus etiam fructus illi respondet.

Distractio venialis impedit fructũ ex opere operato respondẽtẽ priuatæ oblationi.

53 Dico octauò, distractio inuoluntaria in substantialibus sacrificij, impedit etiam collationem fructus prædicti in sacerdote, & coöfferentibus. Ratio est, quia licet distractio sit inuoluntaria, atque ideo non peccaminosa,

Etiã distractio inuoluntaria hunc fructum impedit.

nosa, facit tamen vt nulla sit actualis deuotio, quæ tamen requiritur vt fructus hic ex opere operato conferatur.

Dices, reperitur deuotio virtualis, seu actualis præhabita, quæ in ipsam oblationem factam cum distractione moraliter influit, & hæc videtur sufficere: ergò licet non reperiatur actualis, æquè bene conferetur fructus hic ex opere operato. Confirmatur; deuotio virtualis causat collationem fructus satisfactionis, & impetrationis ex opere operantis, vt dictum est, ergò &c. Respondeo, deuotionem virtualem non sufficere, sed requiri actualem, quia fructus hic debet quantificari per deuotionem offerentis, vt dictum est: sola autem deuotio actualis id præstare potest, non virtualis, quæ formaliter nil habet vnde determinari, & quantificari possit hic fructus. Ad confirmationem Respondeo, ad effectum satisfactionis & impetrationis non est necessaria deuotio actualis, sicut ad prædictum effectum ex opere operato, ob rationem datam. 54

DISPVTATIO IV.

De fructu sacrificij Missæ respectu diuersorum offerentium.



ILli de quibus formari potest quæstio an verè offerant sacrificium, & fructus aliquis ijs respondeat, sunt Christus, Ecclesia, & omnes fideles, sacerdos, assistentes sacrificio, procurantes celebrari, &c. de his igitur omnibus singillatim dicemus, & an fructus aliquis oblationi singulorum respondeat, & quis ille sit. Sit igitur

QVÆSTIO PRIMA.

De fructu sacrificij Missæ respectu Christi offerentis.

QVæstio hæc fundatur in aliâ priori an Christus offerat sacrificia, & quomodo. ex quâ tota resolutio pendet, ideoque eam priùs breuiter examinabimus.

DVBIVM PRIMVM.

An Christus principaliter offerat singula sacrificia, & quomodo?

1 CErtum est, Christum offerre singula sacrificia; id enim definitū est in Tridentino sess. 22. cap. 2. *Vna enim eademq́, est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Certum etiam est eum esse principalem offerenté, & quidam quidem expressè docent, vt *Bellarm. l. 2. de Missa c. 4. Suarez disp. 77. sect. 1. Vasquez disp. 225. c. 2. Syluius q. 83. art. 1. quæst. 6. Cornel. à Lapide in cap. 7. ad Hebraos.* alij licet expressè non dicant, ex eorum tamen verbis colligi potest, & innuit Tridentinum citatum, cùm dicit Christum offerre ministerio sacerdotum; qui enim offert per alios tanquam per ministros, est offerens principalis. Difficultas igitur est, an Christus sic offerat principaliter sacrificia, vt proximè, & immediatè per seipsum ad illa concurrat, an verò solùm mediatè, mediantibus scilicet sacerdotibus.

2 *Quidam volunt Christum immediatè offerre sacrificia.* Prima igitur sententia est, Christum non solùm mediatè per sacerdotes, sed etiam per seipsum immediatè concurrere ad oblationem omnium sacrificiorum, illa Deo Patri repræsentans, in commemorationem sacrificij incruenti in cœnâ, & cruenti in cruce oblati. ita *Valent. l. 2. controuers. de Missa cap. 4. multis locis. Suarez suprà, & disput. 79. sect. 8. Æstius in cap. 7. ad Hebraos. Corn. à Lapide ibidem, & in cap. 8. Coninck q. 83. art. 1. dub. 6.* Fundari potest hæc sentétia in varijs scripturæ locis, Ps. 109. & ad Hebr. 7. vbi Christus dicitur sacerdos in æternum; quod dici nequit ex eo quod semel seipsum in cœnâ, & cruce obtulit; sed ad hoc debet continuò offerre cum sacerdotibus per proprium actum. item in alijs locis vbi dicitur Christus adhuc modò orare, & interpellare pro nobis. Et ratio reddi potest, quia Christus est principalis offerens, quod dici nequit ex eo solùm quòd instituerit hoc sacrificium, cùm Deus instituerit antiqua sacrificia, quæ tamē non dicebatur ideo offerre: ergò Christus ad hoc debet per proprium actum concurrere.

3 *Alij solùm mediatè.* Secunda sententia est contraria, Christum non concurrere ad sacrificia proximè, & immediatè, sed tantùm remotè, & mediatè, mediantibus scilicet sacerdotibus. Ita *Scotus quodlib. 20. a. 1. Gabriel lect. 26. Cordubal. 1 q. 34 Vasquez disp. 223. cap. 3.*

Dico

Dico igitur primò, Christus modò in cœlo non offert immediatè, & per proprium actum omnia sacrificia. Ita Auctores secundæ sententiæ. Probatur primò, ex Tridentino citato, vbi dicitur Christum nunc offerre ministerio sacerdotum; ergò ex mente Concilij non aliter offert, proindeque non per proprium actum. Secundò, Christus in cœlo non orat propriè pro nobis per proprium actum, vt hîc supponimus: ergo neque etiam per proprium actum offert sacrificia, cùm sit par ratio vtriusque. Deinde nulla est necessitas idipsum asserendi, cùm omnes effectus sacrificij absque eo saluentur; immò videretur talis actus superfluus, cùm nullus fructus noui meriti, & satisfactionis illi respondere possit, & sacrificium absque illo actu sufficienter sit impetratorium. Vnde 4 *Christus in cœlo non offert actu sacrificia.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ, Respondeo, vt Christus dicatur sacerdos in æternum, non est necesse quòd per seipsum offerat in æternum, cùm post finem mundi sit mansurus sacerdos, & tamen nullum offeret sacrificium; sufficit ergò, vt eius humanitas sit in æternum vnita diuinitati, ratione cuius habet eam dignitatem, & potestatem. Deinde Christus dicitur principalis offerens, non solùm quia instituit sacrificium, sed etiam quia suo nomine offerri præcepit, & alijs titulis statim explicandis. vnde patet ratio cur Deus non dicatur offerre vetera sacrificia quæ instituit, cùm eius nomine non offerrentur.

Dico secundò, Christus offert omnia sacrificia solùm remotè, & mediantibus sacerdotibus. Ita expressè Tridentinum citatum, & patet ex refutatione primæ sententiæ; cùm enim offerat, & non immediatè; ergò solùm mediatè. Difficultas autem est sub quo titulo dicatur mediatè offerre sacrificia; sunt enim plures quibus id applicari potest; nam primò instituit sacrificium. Secundò, virtutem eis tribuit, applicando merita suæ Passionis per illud conferenda. Tertiò voluit vt sacerdotes offerrent in suâ personâ, & nomine tanquam sui legati, & vicarij. Quartò denique voluit sacerdotes offerre tanquam proprij ministri; & hi duo vltimi modi differunt: nam tertius qui perfectior est dicit sacerdotes offerre propriè in personâ Christi, tanquam veri legati, & vices illius gerentes, vt patet ex verbis consecrationis; *Hoc est Corpus meum, Hic est Calix Sanguinis mei*. in quibus induunt verè personam Christi, maximè positâ nostrâ sententiâ, quòd verba formæ proferâ formaliter, & significatiuè, & non solùm recitatiuè. Quartus verò modus dicit solùm opus ministeriale, & Christus dicitur per sacerdotes hoc modo offerre tanquam per ministros quibus remisit curam offerendi; & sicut dominus dicitur dare eleëmosynam quandò pecuniam dedit famulo, cum commissione eam largiendi pauperibus: item sicut 5 *Christus offert solùm mediantibus sacerdotibus.*

in

in veteri lege dicebantur illi offerre sacrificium qui victimam immolandam tribuebât sacerdoti: ita Christus hoc sensu dicitur offerre sacrificium, quia dedit eam commissionem sacerdotibus vt ministris suis, & porrexit
6 eis victimam sacrificij immolandam. Pro resolutione igitur dicendum, Christum non dici propriè offerre sacrificium, ex eo quòd illud instituerit, sicut nec ex eo quòd merita Passionis suæ per illud nobis contulerit. Ratio est, quia Christum offerre sacrificium dicit concurrentiam aliquam ad illud vel physicam, vel moralem; neutrum autem habetur ex eo quòd vel instituerit illud, vel merita sua nobis communicanda illi tribuerit. Deinde Deus instituit vetera sacrificia, non dicebatur tamen eâ ratione illa offerre. Quòd autem Christus sua merita communicauerit sacrificio, dicit solùm illum esse causam meritoriam fructus, quòd ex opere operato confertur
7 per illud, non autem esse verè offerentem sacrificium. Restat igitur vt dicamus Christum offerre sacrificia remotè, & mediantibus sacerdotibus tertio, & quarto modo suprà dictis, scilicet, per sacerdotes tanquam suos ministros, quibus commisit oblationem huius sacrificij, porrigens eis victimam litandam (quæ nil est aliud quàm Christus ipse, qui dicitur immolari incruentè per sacerdotes, quatenus fit separatio mystica Corporis à Sanguine, vi verborum sub speciebus panis & vini) hanc igitur immolationem Christus commisit suis ministris, sicut dominus committens largitionem eleëmosynæ seruo, verè dicitur dare eleëmosynam, licet remotè; item sicut tribuens victimam sacerdoti immolandam, verè dicitur per sacerdotem offerre sacrificium: ita etiam Christus verè dicitur hoc modo offerre sacrificium Missæ, licet remotè, & per sacerdotes, quatenus eis tanquam suis ministris eam commissionem dedit, & victimam offerendam porrexit. Deinde dicitur vlteriùs per sacerdotes verè offerre quatenus ipsi in personâ Christi tanquam legati, & eius vicarij, eum repræsentantes offerunt: is enim qui aliquid præstat per alterum tanquam per legatum, & vicarium, ipse verè præstare dicitur, licet mediatè tantùm. Aduertendum etiam hîc est, quòd alter illorum duorum modorum sufficiat ad hoc vt Christus dicatur verè offerre sacrificia mediatè per sacerdotes, ita vt licet eis tanquam ministris commisisset immolationem sacrificij tribuendo victimam, absque eo quòd tanquam legatis, & vicarijs in suâ personâ offerri præcepisset; item licet sacerdotes offerrent solùm vt legati, & vicarij, absque eo quòd tribueret Christus eis victimam immolandam vt ministris, semper diceretur verè offerre sacrificium mediatè per sacerdotes, immò & vtroque modo principaliter. His omnibus adde quòd licet duo primi modi prædicti non sufficiant ad hoc vt Christus dicatur verè

Christus non dicitur offerre sacrificia quia instituit, & meritis passionis eis attribuit.

Dicitur Christus offerre, quia sacerdotes vel vt ministri, vel vt eius vicarij offerunt.

verè offerre sacrificia, si tamen tertio, & quarto modo iam explicato iungantur, plurimùm etiam conferunt ad rationem oblationis Christi, ita vt sic Christus dicendus sit offerre sacrificium, quia illud instituit, & merita suæ Passionis communicauit, & in suâ personâ per sacerdotes tanquam per legatos & vicarios, aut ministros offerri præcepit.

DVBIVM SECVNDVM.

An ex eo quòd Christus offerat sacrificia per sacerdotes tertio, & quarto modo suprà dictis, id est tanquam per legatos, & ministros, oriatur fructus aliquis ex ipsis sacrificijs?



Certum est sacrificium conferre fructum ex opere operato ex Christi voluntate, & institutione, eo ipso quo ei hanc virtutem coniungendo merita suæ Passionis attribuit, sicut & sacramentis. Quæritur autem an effectus aliquis conferatur, eò quòd sacrificium offeratur in personâ Christi à sacerdotibus tanquam legatis, vel ministris.

Dico igitur primò, si sacrificium Missæ ita institutum fuisset, vt non offerretur à sacerdotibus in personâ Christi, potuisset æquè bene per illud conferri fructus ex opere operato, eo modo quo nunc. Ratio est, quia potuit Christus annectere illi operi externo sacrificij fructum aliquem suę Passionis, conferendum independenter à merito offerentis; immò si hoc modo instituisset, puto quòd æquè bene tanquam sacrificium nouæ legis contulisset effectum ex opere operato, eo modo quo sacramenta, quæ tamen non conferuntur propriè in personâ Christi, vt sacrificium. 8 *Si sacrificiũ nõ offerretur in personâ Christi potuisset adhuc conferre fructum ex opere operato.*

Dico secundò, omnis fructus qui per sacrificium confertur ex opere operato, illi de facto respondet, quia offertur in personâ Christi, ita vt Christus totum hunc fructum in prima institutione sub eo respectu conferri voluerit. innuit *Suarez disp. 79. sect. 8.* Probatur primò, sacrificium confert fructum ex opere operato, independenter à bonitate sacerdotis offerentis, cuius malitia effectum impedire non potest. Ergò sacrificium effectum hunc non habet quatenus offertur à sacerdote in personâ priuatâ (quia sic eius malitia eum impediret) sed quatenus repræsentat personam 9 *Omnis fructus sacrificij ex opere operato respondet oblationi in personâ Christi.*

Christi. Et hoc sensu Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* docet sacrificium esse oblationem mundam, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest. Hæc enim est differentia inter hoc sacrificium, & antiqua, quòd antiqua tùm ex parte rei oblatæ, tùm etiam ex parte offerentium inquinari poterant: hoc verò neque ex parte rei oblatæ, neque principalis offerentis vllo modo inquinari potest, cùm vtrumque sit Christus. vnde cùm Christus semper sit principalis offerens, non est mirum quòd oblatio hæc in eius personâ facta, semper sit accepta, & effectus ex opere operato sub eo respectu conferatur.

10 Probatur secundò, Christus in nouâ lege instituit sacrificium Missæ cui coniungere voluit fructum ex opere operato, vt ex eâ parte etiam superaret sacrificia vetera; quia verò sic illud instituit, vt voluerit etiam suo nomine & in suâ personâ offerri, ideò valde accommodatè fructum hunc ex opere operato, illi tribuit sub eo respectu, quatenus in suâ personâ offertur. & hoc bene notandum est; non enim volumus per hanc conclusionem, sacrificium prout offertur in personâ Christi, habere fructum aliquem meriti & satisfactionis respondentem ipsi Christo tanquam causæ merenti, & satisfacienti per hoc sacrificium eius nomine oblatum (hâc enim de re conclusione quartâ dicetur) sed solùm quòd quia Christus voluit sacerdotes in suâ personâ offerre sacrificium, item quia voluit conferre sacrificio effectum ex opere operato, ideò oportunè effectum hunc tribuit sacrificio quatenus suo nomine per sacerdotes offertur, in quo etiam plurima relucet diuina prouidentia: cùm enim sacrificium in oblatione offerentis consistat, & quatenus offertur à sacerdote, sæpiùs ob eius malitiam coinquinetur, decebat vt respectum haberet ad alium superiorem offerentem, ratione cuius semper conferret suum fructum ex opere operato in subiecto capaci.

Aduerte etiam hîc, quòd licet Christus probabiliter tribuisset sacrificio fructum ex opere operato, quãuis non instituisset vt offerretur in suâ personâ; tamen putandum est quòd, statuendo vt in suâ personâ per sacerdotes offerretur, contulerit maiorem effectum ex opere operato, quàm aliàs contulisset; vt scilicet hac ratione dignitas principalis offerentis suo modo concurrat ad maiorem fructum ex opere operato.

11 Dico tertiò, sacrificium quatenus offertur in personâ Christi habet maximam virtutem plurima à Deo impetrandi, quæ aliàs impetrare non posset sacerdos offerens in personâ propriâ. Probatur primò, sicut seruus multò faciliùs quippiam à rege impetrat, nomine, & personâ domini suffultus, quàm propriâ: ita sacerdos offerendo sacrificium in personâ Christi,

Sacrificium prout offertur in personâ Christi habet

sti, multò plurâ impetrat, quàm si offerat solùm in propriâ personâ; sic enim Deus non tam respicit sacerdotem, quàm Christum per illum offerentem, qui est persona sibi infinitè grata, ratione cuius plurima quotidie per sacrificia confert beneficia. Immò putandum est Christum instituisse sacrificium in suâ personâ offerendum, vt sic faciliùs à Deo plurima impetraremus, quæ aliàs non ita facilè impetrare potuissemus. Nec obstat quòd offerendo sacrificium, licet in personâ Christi, sæpiùs patiamur repulsam; hoc enim non oritur ex defectu dignitatis Christi, sed eò quòd postulata non ita ad salutem conducant; & credibile est tunc loco rei postulatæ Deum nobis fructum alium saluti congruum conferre, ne Christi persona quam sacerdos induit omni suâ postulatione frustretur. *magnâ virtutem plurima impetrandi.*

Dico quartò, sacrificium eò quòd offeratur in personâ Christi, nullum habet nouum effectum meriti, & satisfactionis ratione oblationis præcisè in eius personâ factæ. Ita *Suarez disput. 79. sect. 11.* Probatur, sacerdos offerendo sacrificium in persona Christi, illum repræsentat, vel prout est modò beatus, vel sub statu viatoris cùm primùm illud instituit: neutro autem ex his modis potest sacrificium habere effectum hunc meriti, & satisfactionis. Non primo modo, quia Christus non est iam in statu merendi, & satisfaciendi, proindeque sacrificium in eius personâ per sacerdotes oblatum, non potest ex eo capite habere effectum aliquem meriti, & satisfactionis. Neque secundo modo, quia licet Christus sub eo respectu consideretur in statu merendi, & satisfaciendi, nullus tamen exurgit fructus meriti, & satisfactionis, nisi is qui in primâ institutione correspondit voluntati quàm habuit instituendi hoc sacrificium, & vt offerretur suo nomine per sacerdotes: sicut enim cùm dominus imperat seruo vt eleëmosynam pauperi largiatur, si largitio illa fiat per seruum aliquo tempore post, non tribuit nouum aliquem fructum meriti, & satisfactionis domino, distinctum ab eo quem recipit ratione iussionis, quia cùm vnicam actionem elicuerit, vnicum etiam fructum meriti, & satisfactionis recipit: ita dicendum de oblatione sacrificij in personâ Christi, cum enim sacerdos offerat sacrificia in personâ Christi, eò quòd illud instituit, & suo nomine offerri præcepit, & vnica sit Christi actio, nec postea reiterata fuerit, vnicus etiam fructus meriti, & satisfactionis initio institutionis inde ortus est, qui fuit infinitus, & per quem infinitè meritus est, & satisfecit, sicut & per omnes alias actiones; ideoque modò per sacrificium oblatum per sacerdotes in personâ Christi, offertur solùm fructus meritorum, & satisfactionum Christi, tum respondens actioni quâ illud instituit, tum etiam alijs actionibus passionis, & vitæ ipsius, 12 *Sacrificium prout offertur in personâ Christi non habet nouum meritum, & satisfactione.*

idque in eo gradu, & quantitate quâ in primâ institutione Christus applicari voluit.

13 Dices, si sacrificium oblatum in personâ Christi neutro dictorum modorum est meritorium, & satisfactorium: ergò neque erit impetratorium, cuius tamen contrariũ conclusione tertiâ dictũ est. Respondeo, negand. consequentiam. & ratio diuersitatis est, quia sacrificium offerri in personâ Christi, dicit solùm denominationẽ extrinsecam in Christo, nec ponit aliquem actum distinctũ ab eo per quem hoc sacrificium taliter instituit; vnde cùm soli actui humano respondeat ratio meriti, & satisfactionis, nulla hîc de nouo respondere potest ob illum solum respectum, & denominationem extrinsecam: quæ tamen sufficere potest ad effectum impetrationis, ad quem non est necessaria vera actio eius cuius nomine offertur sacrificium, vt sub eo respectu sit impetratorium, sed sufficit vt Deus in sacrificio non tam attendat ad sacerdotem offerentem, sed potiùs ad personam Filij quem sacerdos repræsentat, virtute cuius ob infinitam dignitatem, & merita Christi inclinatur ad concedendum id quod per sacrificium petitur; hoc enim sufficit ad rationem impetrationis, absque eo quòd opus sit vt Christus aliquo actu speciali dicatur ad sacrificium concurrere: & sub eo respectu, seu per hanc denominationem extrinsecam sacrificium quantum est ex eâ parte dici potest habere infinitam virtutem ad impetrandum. De hoc aliquid vlterà dicetur *q. 2. d. 1.*

Aliud est loqui de effectu impetrationis in sacrificio oblato in personâ Christi, aliud de merito, & satisfactione.

QVÆSTIO SECVNDA.

De fructu sacrificij Missæ respectu Ecclesiæ offerentis.



Dictum est *disp. 1. q. 1. d. 2.* Ecclesiam sumi posse dupliciter, scilicet pro ipso corpore mystico composito ex omnibus fidelibus copulatim sumptis; & pro ipsismet fidelibus in indiuiduo, & copulatiuè sumptis; & Ecclesiam hoc duplici modo sumptam suos fructus proprios recipere ex Missæ sacrificijs: cùm igitur dictum sit Ecclesiam hoc duplici modo sumptam recipere fructum aliquem ex sacrificijs, quatenus pro eâ offeruntur; quæritur modò an sub duplici eâ ratione dici possit offerre etiam ipsa sacrificia, & fructum aliquem etiam inde recipere. De quo sit

DVBIVM

DVBIVM PRIMVM.

An Ecclesia prout dicit corpus mysticum verè dicatur offerre sacrificia; & quis fructus inde proueniat?

DIco primò, Ecclesia prout dicit corpus mysticum collectum ex omnibus fidelibus copulatim sumptis, offert sacrificia per sacerdotes, ita vt sicut sacerdotes agunt vices, & personam Christi, ita etiam Ecclesiæ, idque primò, quia Ecclesiæ Prælati summi Pontifices corpus Ecclesiæ repræsentantes, sacerdotes in ministros sacrificij ordinarunt, & nomine totius Ecclesiæ tanquam per Mediatores, & Legatos illud offerre præceperunt. Secundò Ecclesia dicitur offerre sacrificia per sacerdotes, quia totius Missæ normam, orationes, & pios ritus ipsi sacrificio adiunxit, & suo nomine ea fieri præcepit. Tertiò dicitur Ecclesia offerre, quia per suum membrum scilicet sacerdotem offert: sicut igitur actio facta per membrum aliquod corporis, tribuitur ipsi corpori: sic sacrificium per sacerdotem vt membrum Ecclesiæ oblatum, per ipsum corpus Ecclesiæ offerri dicitur. Quartò Ecclesia non quidem offert, sed oblationi magnam virtutem tribuit, tum ob suam, & singulorum membrorum sanctitatem, tum etiam, & maximè in speciali ob merita, & preces Diuæ Virginis, & aliorum Sanctorum, quæ Deo repræsentat ad maiorem effectum impetrationis; vt patet ex Canone Missæ: *communicantes, & memoriam venerantes, imprimis gloriosæ Virginis Mariæ, &c. quorum meritis, precibusque concedas &c.* 1

Ecclesia sumpta pro corpore mystico offert sacrificia per sacerdotes.

Hoc posito, quæritur, an ex sacrificijs oriatur fructus aliquis meriti, satisfactionis, & impetrationis, eò quòd corpus Ecclesiæ cum omnibus prædictis respectibus illa offerat per sacerdotes vt suos Legatos, & Mediatores. *Henriquez l. 9. cap. 17. n. 4. & Petrus Nauarra l. 2. de restit. c. 2.* volunt sacrificium esse satisfactorium quatenus offertur nomine Ecclesiæ. & idem tribuunt quidam *D. Thomæ 3. p. q. 82. artic. 6.* sed falsò, de quo infrà. *Aragonius 2. 2. q. 85. a. 3. §. quarto est aduertendum.* addit amplius, scilicet Ecclesiæ offerenti respondere triplicem valorem, meriti, satisfactionis, & impetrationis, sicut sacerdoti. Probatur hæc sententia generaliter; primò, Ecclesia quæ semper est Deo grata offert sacrificia per sacerdotes vt ministros, aut mediatores; ergò independenter ab illorum bonitate illis re- 2

Quidam volunt oblationi Ecclesiæ respondere fructum satisfactionis.

 spondet

spondet fructus aliquis meriti, & satisfactionis. Confirmatur à simili: cùm dominus largitur eleëmosynam pauperi ministerio famuli, independenter à bonitate, aut malitia illius, respondet eleëmosynæ fructus aliquis meriti, & satisfactionis, eo ipso quo nomine domini facta est: ita eo ipso quo Ecclesia per sacerdotes vt ministros, aut mediatores offert sacrificia, respondet fructus aliquis meriti, & satisfactionis indepédenter à bonitate aut malitiâ sacerdotũ, eo ipso solũ quòd nomine Ecclesiæ offeruntur.

Secundò, sacrificijs respondet fructus meriti, & satisfactionis ex opere operato, eo ipso quo offeruntur in personâ Christi independenter à bonitate ministri: ergò eidem sacrificio respondet fructus meriti, & satisfactionis, saltem ex opere operantis, quatenus offeruntur nomine Ecclesiæ, idque independenter à bonitate sacerdotis.

Tertiò, sacrificia oblata nomine Ecclesiæ habent fructum aliquem impetrationis independenter à bonitate ministri; ergò & cum hâc independentiâ habebunt fructum meriti, & satisfactionis. contrà tamen

Dico secundò, nullus fructus meriti aut satisfactionis exurgit ex Missæ
3 sacrificio, quatenus offertur à sacerdote nomine Ecclesiæ Ita *Suarez disp. 79. sect. 8. Vasquez disp. 229. cap. 2. Bonartius de horis canonicis libro 3. c. 26. &c.* & hæc sententia indubiè est vera. Probatur primò, quòd Ecclesia dicatur offerre, eò quòd sacerdos eius nomine offert sacrificium, est solùm denominatio extrinseca, quæ licet sufficere possit ad impetrationem, vt conclusione sequenti dicemus, non tamen ad meritum, aut satisfactionem; quia ad meritũ, aut satisfactionem actiuam, præcipuè ex opere operantis, requiritur actio aliqua humana, cui fructus hic tanquam proprius effectus correspondeat, vt etiam dictum est hîc *quæst. 1. dub. 1.* cùm igitur ex parte Ecclesiæ nullus reperiatur actus humanus, nullus etiam fructus meriti, aut satisfactionis illi respondet. Hinc *Vasquez* docet hunc modum meriti, & per consequens, etiam satisfactionis, esse omninò commentitium, quia Ecclesia hoc modo in vniuersum, seu abstractim à singulis in particulari sumpta, non est vna persona, quæ possit elicere veram aliquam actionem, quod requiritur ad rationem meriti, & satisfactionis.

Nullus fructus meriti aut satisfactionis respõdet oblationi Sacrificij nomine Ecclesiæ.

Probatur secundò, si responderet fructus meriti, aut satisfactionis oblationi Ecclesiæ, absque vllâ eius actione propriâ, vt videntur velle alij contrariæ sententiæ, esset, quia sicut Deus coniunxit fructum aliquem meriti, & satisfactionis sacrificio, eò quòd offeratur in personâ Christi, independenter à bonitate ministri: ita & fecit oblationi eiusdem sacrificij & orationibus Missæ, nomine Ecclesiæ factis: hoc autem nullo nititur fundamento, nec vlla indicia colligi possunt ex Sacris Litteris, Concilijs,

aut

aut Patribus, quòd Deus promiserit collationem alicuius meriti, aut satisfactionis suæ Passionis, oblationi sacrificij; & orationibus Missæ nomine Ecclesiæ factis, sicut fecit eidem oblationi factæ nomine Christi.

Ad primam igitur rationem in oppositum, Respondeo, negando consequentiam; oblationi enim nomine Ecclesiæ factæ respondet solùm fructus aliquis impetrationis independenter à bonitate ministri, non autem meriti, aut satisfactionis, ob rationes iam datas. Ad confirmationem respondeo dictum esse hîc *q. 1. art. 2.* erogationi eleëmosynæ domini, factæ per famulum, non respondere alium fructum meriti, aut satisfactionis, nisi eum qui respondet primæ eius voluntati, quâ per famulum eleëmosynam erogare voluit; vnde similitudo nil probat. Ad secundam, respondeo neg. etiam cõsequentiam, quia quòd sacrificio respondeat fructus meriti, & satisfactionis ex opere operato, quatenus offertur in personâ Christi, est, quia Christus sua merita sub hâc conditione per sacrificium conferri voluit, vt dictum est suprà; quod non reperitur in oblatione respectu Ecclesiæ, Deinde nullum est opus operantis respectu Ecclesiæ, ergò neque fructus aliquis ex opere operantis.

Ad tertiam respondeo, negando etiam consequentiam. Et ratio diuersitatis est, quia meritum, & satisfactio actiua requirunt actionem propriam, non sic impetratio, vt statim dicemus.

Dico tertiò, oblationi sacerdotis, & orationibus Missæ factis nomine 4
Ecclesiæ respondet fructus aliquis impetrationis. Ita communiter D D. & sic intelligẽdus est *D. Thomas* loco suprà contra nos citato, scilicet *3. p. q. 82. a. 6.* vbi sic ait: *Oratio in Missâ profertur à sacerdote in personâ totius Ecclesiæ, cuius sacerdos est minister: quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, vnde quãtum ad hoc est fructuosa, non solùm oratio sacerdotis peccatoris in Missâ, &c.* fructus autem hic indubiè solius est impetrationis, qui maximè proprius est orationum de quibus loquitur; & ita hunc locum explicat *Caietanus* ibidem dicens: *minister Ecclesiæ siue bonus, siue malus æquè impetrat.*

Oblationi factæ nomine Ecclesiæ respondet fructus impetrationis.

Probatur primò, ad impetrationem nõ requiritur specialis aliqua actio ipsius Ecclesiæ, vt ad meritum, & satisfactionem, sed sufficiunt sanctitas habitualis ipsius, & merita Sanctorum: cùm enim sacerdos offert sacrificium, & orationes Missæ nomine Ecclesiæ, Deus sepositâ bonitate ministri respicit sanctitatem & merita ipsius Ecclesiæ, quæ sacerdos, illius vices gerens, repræsentat, & eorum intuitu confert fructum impetrationis, licet Ecclesia se ipsâ, nil in hoc operata sit: eo modo quo Deus sæpiùs nos exaudit, cùm ad faciliùs aliquid impetrandum interponimus, & repræsentamus ei merita alicuius Sancti, licet fortè pro tunc Sanctus ille non

oret

oret pro nobis, quia sufficiunt sola ipsius merita, quæ cùm sint Deo grata, ei repræsentata, inclinant eum ad conferendum postulata, eo modo quo suprà dictum est de eodem sacrificio oblato in personâ Christi

Probatur secundò: Ecclesia semper est Deo grata, ergo independenter à bonitate ministri, oblatio, & orationes Missæ eius nomine factæ semper erunt Deo acceptabiles, proindeque effectum aliquem impetrationis consequi poterunt; nam licet Ecclesia, prout dicit corpus mysticum, non possit per se aliquid mereri aut satisfacere, cùm non sit persona aliqua, vt dictum est; potest tamen per sacerdotem, vt suum ministrum, aut mediatorem aliquid impetrare independenter ab eius bonitate. vnde rectè *Caietanus* suprà comparat inter se ministerium Christi, & Ecclesiæ, in ordine ad fructum consequendum, his verbis: *Ministerium in personâ Ecclesiæ, non est minùs fructuosum, quàm ministerium in personâ Christi: minister autem Christi, siue bonus, siue malus, æquè sanctificat. Igitur minister Ecclesiæ, siuè bonus, siue malus, æquè impetrat.* Quod autem fructus hic impetrationis sit independens à ministri bonitate, est, quia non propria, sed Ecclesiæ merita, & sanctitatem ad hunc effectum Deo repræsentat: hinc Guilielmus Parisiensis lib. de sacramen. tract. de ordine: *aliud est interpellare pro alio vt amicum, seu beneuolum, ac inniti gratiæ propriæ sanctitatis, & aliud interpellare vt nuntium, & preces, & interpellationem offerre alienæ (vt ita dicam) charitatis.*

Aduerte hîc, quòd licet sacerdos offerat sacrificiũ, nomine Ecclesię militantis, non triumphantis, ad effectũ tamẽ impetrationis non solùm offert Deo merita Ecclesiæ militantis, sed & triumphantis, vt patet in Canone vbi numeratis pluribus Sanctis dicitur; *quorũ meritis precibusq; concedas, &c.*

DVBIVM SECVNDVM.

An omnes fideles qui sunt membra Ecclesiæ offerentis, verè offerant sacrificia, & fructum aliquem inde consequantur?



NOn est quæstio de ijs fidelibus qui speciali aliquo modo concurrunt ad sacrificia, vt Ministrantes, Assistentes, Procurantes, &c. de quibus infrà; sed generatim de omnibus fidelibus in particulari qui sunt membra Ecclesiæ offerentis.

5 Dico igitur primò, fideles omnes qui sunt membra Ecclesiæ offerentis

dicuntur

dicuntur offerre sacrificia suo modo, sed valdè remoto, & imperfectò est communis. Probatur, quia licet sacerdos ex proprio munere ad id deputatus offerat immediatè sacrificia, offerunt tamen etiam per illum fideles omnes, licet impropriè, & modo valdè remoto, quatenus scilicet singuli sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine sacerdos offert: est enim sacerdos minister publicus, deputatus ad offerendum Deo totius corporis Ecclesiæ vota, & sacrificia, proindeque singulorum membrorum, quorum communi consensu, & nomine illa offert, vt patet ex eo quod in Missâ non loquitur in personâ priuatâ, sed in plurali: *oremus, offerimus, &c.* tanquam repræsentans omnes fideles totius Ecclesiæ, vt rectè *Innocentius III. lib. 3. de Missâ cap. 5.* Deinde Christus reliquit Ecclesiæ, & omnibus, & singulis fidelibus hoc sacrificium offerendum, ita vt quando sacerdos illud offert, perinde est ac si fideles omnes hostiam, & victimam offerendam ei tribuerent; vnde sicut in veteri lege tribuentes victimam sacerdoti dicebantur offerre sacrificium, ita & hîc fideles omnes. Denique omnes fideles oblationem sacerdotis, nomine omnium factam approbant, & in eam consentiunt; idque per intentionem, & voluntatem, quam *Bellarm. lib. 2. de Missâ cap. 4.* vocat habitualem, sicut & *Suarez disput. 77. sect. 3.* alij virtualem, seu interpretatiuam, vt *Henriquez l. 9. c. 20. n. 3. & idem Suarez*, & meliùs, cùm enim fideles omnes dicantur offerre, quia eo ipso quo voluntariè sunt, & manere volunt in Ecclesiâ, virtualiter, seu melius interpretatiuè volunt se conformare voluntati, & intentioni Ecclesiæ, & approbare quæ facit, & consentire vt omnia quæ communi nomine fiunt, suo etiam fiant nomine. de quo vide dicta *disp. 1. q. 1. d. 5.* Alio modo hunc modum offerendi omnium fideliũ explicat *Caietanus tom. 2. tract. 3. q. 2.* docens fideles omnes non solùm habitualiter, virtualiter, aut interpretatiuè offerre singula sacrificia, sed etiam causaliter; quod non placet, vt dicetur.

Fideles omnes dicuntur offerre singula sacrificia.

6 *Intentione virtuali, seu interpretatiuâ fideles offerunt sacrificia.*

Posito autem quòd fideles omnes modo dicto concurrant ad sacrificia: quæritur an inde fructus aliquis illis proueniat, & qualis? *Caietanus* citatus postquam docuit fideles omnes tanquam membra Ecclesiæ offerre omnia sacrificia causaliter, &, vt loquitur, per sacerdotis actus offerre, & orare; statim colligit eâ ratione singulos recipere fructum aliquem satisfactionis, idque secundùm quantitatem deuotionis quam habent in communibus Ecclesiæ sacrificijs, & orationibus; quem fructum patet velle esse respectu sacrificiorum, ex opere operato. hunc sequitur *Aragonius 2. 2. quaest. 85. art. 3. §. quocirca* & innuit *Sotus d. 31. q. 2. art. 1. §. offerentes autem.* vbi inter offerentes numerat totum populum Christianum; & paulò infrà loquens de omnibus offerentibus, docet omnes illos reci- 7

L pere

pere fructum sacrificij per modum meriti, satisfactionis, & impetrationis. quidam idem tribuunt *Scoto quodlib.* 20. sed non docet expressè. Probari potest hæc sententia; primò, sacrificium confert fructum aliquem ex opere operato omnibus offerentibus: sed fideles omnes illud offerunt per sacerdotes; ergò recipiunt etiam fructum ex opere operato. Secundò, Assistentes sacrificio recipiunt fructum ex opere operato, vt infrà dicetur; ergò & omnes fideles, quia sicut & Assistentes consentiunt, & approbant omnia sacrificia, idque suo modo concurrendo causaliter, vt ait *Caietanus.* contrà tamen

Singuli fideles quatenus offerunt remotè sacrificia, nullum fructum recipiunt ex opere operato.

8 Dico secundò, fideles omnes quatenus remotè offerunt modo prædicto singula sacrificia, nullum ex eis fructum recipiunt ex opere operato. ita *Suarez disp.* 79. *sect.* 8. *Vasquez disp.* 229. *c.* 2. *Henriquez l.* 9. *c.* 20. *n.* 3. *&c.* Probatur primò: nullus recipit fructum sacrificij ex opere operato quatenus offerens, nisi aliquo modo actu concurrat ad illud, offerendo, assistendo, procurando, &c. sed fideles omnes nullo horum modorum dici possunt concurrere ad sacrificium: ergò nullum fructum ex opere operato ex illo recipiunt.

Secundò, fideles omnes, vt dictum est, dicuntur offerre per solam denominationem extrinsecam, & habitudinem valde remotam, absque vllâ verâ actione, quâ ad sacrificia concurrant; fructus autem sacrificiorum nulli offerenti confertur, nisi per propriam actionem ad illa concurrat. Deinde aliàs sequeretur singulos fideles quotidie recipere infinitos ferè fructus sacrificiorum, quæ per totam Ecclesiam offeruntur, ita vt morientibus nil ferè satisfactionis restaret soluendum in Purgatorio; quod sicut *disp.* 1. *q.* 1. *d.* 2. reiecimus, quoad fructum illis prouenientem ex oblatione passiuâ, quâ pro illis offeruntur: ita nec admittimus quoad fructum qui respondere posset oblationi eorum actiuæ remotæ.

Tertiò, omnes qui quatenus offerentes recipiunt fructum sacrificij ex opere operato, recipiunt etiam alium ex opere operantis, ratione propriæ oblationis, quâ sicut dicuntur offerre, & exinde recipere fructum ex opere operato, ita etiam dicuntur mereri, & satisfacere tanquam per propriam actionem, cui talis fructus respondet: sed singuli fideles nihil merentur, nec satisfaciunt ex opere operantis ratione oblationis omnium, & singulorum sacrificiorum, vt patet; ergò neque recipiunt fructum ex opere operato. Confirmatur, sola intentio, & voluntas interpretatiua circa opus malum alterius, non sufficit ad contrahendum peccatum, sed ad hoc vera actio requiritur: ergò neque eadem intentio interpretatiua sufficit ad hoc vt fideles sic dicantur offerre sacrificia, vt recipiant inde fructum ex opere operato.

Dices

Dices, qui ab aliquo tempore petijt pro se offerri sacrificiũ, recipit ex illo fructum ex opere operato, etiam quatenus offerens, vt infrà dicetur, licet cùm offertur nullâ verâ actione ad illud concurrat, solùm ideò quia moraliter concurrit eo ipso quo aliquandò petijt illud pro se offerri. Ergò idem est de singulis fidelibus, qui licet non concurrant ad singula sacrificia actione aliquâ positiuâ, concurrunt tamen moraliter, quatenus sunt membra Ecclesiæ, quæ ordinauit, & præcepit vt suo, & membrorum nomine offerrentur sacrificia. Respondeo negando consequentiam, & ratio diuersitatis est in duobus: Primò, quia qui petijt pro se offerri sacrificium, actione aliquâ sibi propriâ, & personali ad illud concurrit, licet non attingat nisi moraliter. Secundò, actio, seu petitio illius moraliter adhuc perseuerat, ita vt oblatio sacerdotis sit illius effectus, quatenus scilicet à tali rogatus offert sacrificium: in singulis autem fidelibus nil est simile, quia ordinatio, & præceptum Ecclesiæ offerendi sacrificia suo, & fidelium nomine, non est actio personalis singulorum fidelium, cui correspondeat prædictus concursus moralis, sed est solùm denominatio extrinseca, quæ sicut non tribuit illis concursum moralem, ita nec fructum aliquem ex sacrificijs sub illo respectu recipiunt. 9

Qui rogauit pro se fieri sacrificium recipit fructum exinde, non tamen omnes fideles.

Instabis primò, ergò falsum est, quod dictum est dubio præcedenti, sacrificio respondere fructum aliquem respondentem oblationi factæ nomine Ecclesiæ, independenter à bonitate ministri. Respondeo negando consequentiam, quia dubio præcedenti dictum est, fructum hunc, esse solius impetrationis, & ad illum sufficere sanctitatem habitualem ipsius Ecclesiæ, quæ Deo repræsentata per sacerdotes tanquam eius ministros, eum inclinat ad conferendum effectum impetrationis. Instabis secundò, inueniri saltem veram aliquam actionem personalem erga sacrificia, in ijs fidelibus, qui aliquandò actu intenderunt omnia, & singula sacrificia offerri suo nomine; sicque illi saltem dicentur illa omnia offerre, & fructum inde recipere. Respondeo eos qui solâ interiori deuotione offerunt sacrificia, non recipere ideò fructum aliquẽ ex illis, vt rectè *Suarez disp. 77. sect. 3.* sed requiritur vt actione aliquâ externâ, & sensibili aliquo modo ad illa concurrãt, cùm in externâ etiam actione consistant, vt infrà de Assistentibus dicetur; actioni autẽ eorum fidelium ad summum respondebit fructus aliquis tanquam pio actui, circa obiectum præstantissimum: eo modo, quo actio quâ quis offert Deo omnia merita Christi, & Sanctorum, non recipit fructum omnium istorum meritorum, sed tantùm correspondentem præstantiæ illius actionis. 10

Oblationi Ecclesiæ respondet fructus, non singulorum fidelium.

Sola deuotio & oblatione interna non sufficit, sed requiritur actio externa ad recipiendum fructũ sacrificij.

Ex dictis patet solutio ad rationes contrariæ sententiæ.

DVBIVM TERTIVM.

An fructus prædictus respondens corpori Ecclesiæ, dicendus sit ex opere operato, vel opere operantis?

11 *Quidam volūt oblationi Ecclesiæ respondere fructum ex opere operato.*



Enriquez libro 9. cap. 7. n. 4. fructum respondentem oblationi Ecclesiæ, vocat ex opere operato: tribuitur idem *Scoto quodlib.* 20. *a.* 1. & *Gabriel. lect.* 26. & *in* 4. *d.* 1. 4. & 45. vt docent *Corduba, Couarruuias, & Aragonius infrà*; licet *Vasquez* eos excuset *disp.* 229. *c.* 1. *n.* 4. Probari potest hæc sententia primò: fructus sacrificij respondens Ecclesiæ est independens à bonitate Sacerdotis offerentis, nec desinit Ecclesia consequi fructum hunc sacerdote existente in peccato: at fructus talis est ex opere operato; ergò fructus respondens Ecclesiæ est ex opere operato. Probatur minor: differētia inter fructū ex opere operato & operantis est quod ex opere & operātis respondeat & cōmensuretur operi externo, quatenus est ab operante, ex opere verò operato non cōmensuretur illi operi, sed indepēdenter ab operis bonitate cōferatur. Secundò fructus ex opere operantis sæpè deficit; fructus autem hic nunquam deficere potest, cùm Ecclesia semper sit Deo grata (vt ait *Henriquez*) & eius sponsa charissima, in quâ sunt semper plurimi iusti, quorum iustitiâ ipsa sanctificatur: ergò fructus illius est ex opere operato.

12 *Alij solùm respondere fructum ex opere operantis.* *Couarruuias verò c. Alma mater. p.* 1. §. 5. *n.* 6. *Cordub, l.* 1. *q.* 3. *initio. Aragon.* 2. 2. *q.* 85. *a.* 3. §. *quartò est aduertendum. Suarez disp.* 79. *sect.* 11. *Vasquez suprà, & alij communiter* docent fructum hunc esse ex opere operantis. Probatur ex communi Doctorū sententiâ, fructus ille dicitur ex opere operato, qui tribuitur alicui actioni, non solùm independenter à bonitate illius, sed etiam ex institutione, & promissione diuinâ: sed fructus hic non est talis; ergò non est ex opere operato.

Videtur quæstio de nomine, melius tamē vocatur ex opere operantis. Ego autem arbitror quæstionem esse de nomine; omnes enim in hoc conueniunt, quòd fructus hic respondens Ecclesiæ non sit ex institutione diuinâ, sed ob solam sanctitatem Ecclesiæ: an autem eò quòd sit independens à bonitate ministri, vocandus sit ex opere operato, nec ne, quæstio est de solo nomine; meliùs tamen existimo vocandum ex opere operantis iuxtà communem sententiam. Primò, ad tollendam æquiuocationem, ne putetur fructus aliquis ex institutione diui-

nâ

nâ respondere sacrificio oblato in personâ Ecclesiæ, sicut respondet in personâ Christi. Secundò, fructus ex institutione diuinâ est infallibilis in non ponente obicem, idque ex puro pacto & promissione: fructus autem hic non ita est infallibilis ex pacto sed variatur secundùm multitudinem iustorum in Ecclesia degentium; ita vt si nullus in eâ esset iustus, nullus fortè fructus inde proueniret; immò fundatur super ipsâmet oblatione sacerdotis iusti, qui tanquam membrum Ecclesiæ, oblationem Ecclesiæ magis suâ oblatione dignificat, vt maiorem fructum consequatur. Denique fructus hic est solius impetrationis, vt dictum est, & respondet sanctitati, deuotioni, & fidei Ecclesiæ; ergò non est nisi ex opere operantis. vnde si nolis fructum hunc vocari ex opere operantis, vocari poterit fructus medius.

Ex dictis collige falsum esse quod ait *Nugnus* 3. *p. q.* 83. *a.* 1. *d.* 3. oblationi Ecclesiæ respondere eundem, & vnicum effectum cum oblatione Christi, sacerdotis, & priuatorum offerentium, eò quòd sint causæ subordinatæ, quibus respondere debet vnicus effectus, falsum inquam est, quia nulla est subordinatio Ecclesiæ respectu aliorum offerentium in ordine ad effectum, cùm non attingat suâ oblatione effectum ex opere operato, quem attingunt alij offerentes, sed longè diuersum ex opere operantis. 13 *Reijcitur sententia Nugni.*

DVBIVM QVARTVM.

An fructus sacrificij respondens Ecclesiæ sit aliquando maior, aliquando minor, secundùm maiorem, vel minorem sanctitatem ipsius Ecclesiæ?



PRima sententia est fructum impetrationis respondentem oblationi Ecclesiæ non esse variabilem, nec quò plures in Ecclesiâ fuerint sancti, eò maiorem fructum inde prouenire. *Sotus d.* 13. *q.* 1. *art.* 6. *in fine*, licet videatur dubius, in eam partem tamen magis inclinat. Ratio eius est primò, quia ministeriū sacramentorum, ac per consequens huius sacrificij, non fundatur in gratiâ, & meritis singularum personarum Ecclesiæ, sed in passione Christi; vt patet ex eò quòd licet in Ecclesiâ nulla esset persona Deo grata, nihilominus sacrificium suum adhuc effectum consequeretur. Secundò, Ecclesia non offert sacri- 14 *Quidam putant fructū respondentē oblationi Ecclesiæ non esse variabilem.*

 ficium

ficium per eos qui nil de eo cogitant, sed vel tunc dormiunt, vel alijs rebus occupantur; sed solùm per sacerdotem, Ministrantes Circumstantes, dici iubentes &c. ergò ex aliorum meritis, & sanctitate nullus videtur accedere fructus Ecclesiæ.

Alij volunt variari iuxta maiorem vel minorem sanctitatem illius.

15 Secunda sententia est contraria, fructum scilicet impetrationis respectu Ecclesiæ offerentis, variari secundùm maiorem, vel minorem sanctitatem membrorum eius, ita vt maior fructus inde proueniat, si fuerint plures in Ecclesiâ iusti; minor verò, si pauciores. ita *Gabr. lect 26.* & post illum *Couarru. & Suarez suprà. Vasquez* verò item suprà *c. 2. n.* 10. dubitationem *Soti* videtur non nihil approbare, nec facilè, vt ait, audet definire; in hanc tamen magis inclinat, idem docet *Henriquez lib. 9. cap. 17. a. n. 2.* dissentit tamen in hoc, quod variationem fructus non ponit solùm in impetratione, sed & in satisfactione, quod dub. 1. reiecimus.

Ex alio capite variatur fructus meriti, & satisfactionis; ex alio fructus impetrationis.

16 Nota quæstionem hîc esse de fructu impetrationis, quem solum respondere oblationi Ecclesiæ dictum est; aliter autem loquendum est de hoc fructu impetrationis, aliter de fructu meriti, & satisfactionis: quia ad fructum meriti, & satisfactionis in sacrificio requiritur verus aliquis actus, vt dictum est; nec maior sanctitas offerentis aliquid ad hoc confert, vt dicetur; at verò ad fructum impetrationis non requiritur actus aliquis, & maior sanctitas plurimùm præstat in ordine ad maiorem effectum. Vnde

Fructus impetrationis respondens oblationi Ecclesiæ variatur secundũ maiorem vel minorẽ illius sanctitatem.

17 Dico primò, fructus impetrationis respondens oblationi Ecclesiæ, variatur secundùm maiorem, vel minorem sanctitatem ipsius, ita vt quò plures sunt iusti & sancti in Ecclesiâ, maior fructus oriatur; cùm pauciores, minor. Nec video cur *Vasquez* hâc in re vacillet, & iudicium videatur vtcumque suspendere. Probatur: fructus impetrationis secundùm omnes, maximè spectatur, & augetur ex sanctitate, & meritis personæ orantis, quia cùm impetratio pendeat ex solâ liberali misericordiâ Dei, multò magis inclinatur ad exaudiendum eos qui maiori præditi sunt sanctitate, & meritis, & eâ ratione sunt in maiori æstimatione apud Deum, eo modo quo apud homines vir nobilis, & magnæ æstimationis, maius aliquid, & faciliùs impetrabit à Rege, quàm plebeus: cùm igitur Ecclesia per sacerdotes offerat sacrificia, & orationes Missę, & eâ ratione fructũ aliquem impetrationis obtineat, sequitur quod vbi maior erit illius sanctitas, maiorem etiam fructum impetrationis, & vbi minor, minorẽ impetrabit; cùm fructus hic æstimetur secundùm quantitatem sanctitatis offerentis. Nec obstat quòd Ecclesia seipsâ non offerat, sed per sacerdotes; quia sufficit quòd eius nomine tanquam ministri, aut legati offerant; in legato enim

enim legantis dignitas, & auctoritas maximè attenditur; vnde semel concesso, sanctitatem Ecclesiæ plurimùm conferre ad fructum hunc impetrationis; ex consequenti concedendum etiam est, maiorem illius sanctitatẽ magis cõferre. Deinde non estquòd dicat *Sotus* multos iustos in Ecclesiâ non offerre actu sacrificia, proindeque eorũ merita ad effectum hunc nil conducere; hoc enim verum esset, si de fructu meriti, & satisfactionis ageremus, qui actualem aliquem concursum, & actionem requirit, vt dictum est, & qui soli sacerdoti. assistentibus, ministrantibus, & alijs actu concurrentibus prouenit: in effectu autem impetrationis nõ habet locum hęc ratio, quia cùm sacerdos, nomine totius corporis Ecclesiæ offerat, eius sanctitatem, ratione singulorum membrorum, respiciens Deus, inclinatur ad conferendum fructum impetrationis, conformiter ad maiorem, vel minorem sanctitatem ipsius corporis Ecclesiæ. Vel breuiùs, sanctitas eorum qui non concurrunt actu ad oblationem, si non causaliter, quod non requiritur, saltem obiectiuè, quod sufficit, concurrit ad effectum impetrationis. Et ex hoc soluta est prima ratio *Soti*. Quoad secundam verò, laborat in æquiuoco; non enim distinguit fructum sacrificij ex opere operato respondentem institutioni Christi, à fructu impetrationis respondente oblationi Ecclesiæ. 18 *Reijcitur ratio Soti.*

Dico secundò, fructus hic impetrationis respondens oblationi Ecclesiæ, est omninò finitus. Ratio est, quia cùm fundetur in sanctitate Ecclesiæ, quæ finita est, illi non nisi fructus finitus respondere potest. vnde hîc optimè applicari potest, quod suprà dixit *D. Thomas*, oblationem magis attendi ex conditione offerentis, quàm ex re oblatâ. 19 *Fructus impetrationis respondens Ecclesiæ est finitus.*

Restat hîc inquirendũ an fructus proueniens ex oblatione Ecclesię non solùm augeatur, aut minuatur, ex maiori, vel minori illius sanctitate, sed etiam an fructus sit minor respectu totius corporis Ecclesię, cùm sacerdos est in mortali. *Syluester verbo Missa n.* 1. docet partem affirmatiuã, quia minister est instrumentum Ecclesiæ; instrumentum autem quò est aptius, meliùs operatur, vt patet in scribẽte, qui meliori calamo meliùs scribit. Contrarium tamen, & meliùs docet *Aragonius suprà* §. *ad secundam difficultatem.* Ratio est, quia si fundamentum Syluestri esset validum, sequeretur ex malitiâ ministri non solùm minui fructum respondentem Ecclesiæ; sed & fructum ex opere operato respondentem oblationi in personâ Christi, quia sacerdos non solùm est minister Ecclesiæ, sed & Christi; hoc autem nullus concedet. vnde dicendum est malitiam sacerdotis minuere fructum Ecclesiæ solùm quatenus est membrum Ecclesiæ, & suâ bonitate pro suâ parte reddit Ecclesiam digniorem; suâ autem malitiâ minus dignam. 20 *Sacerdos vt instrumentũ Ecclesiæ sub eo respectu non minuit fructũ illius.*

Quoad

Quoad rationem autem instrumenti, nil officit, quia instrumentũ aptius, meliùs operatur, cùm effectus in sui perfectione dependet ab instrumento, vt in scriptione, quæ pendet in sui perfectione à calamo apto: effectus

10 verò sacrificij, non solùm ex opere operato; sed & ex opere operantis respectu Ecclesiæ offerentis non pendet à sanctitate, & perfectione sacerdotis tanquam instrumenti sed à sanctitate habituali ipsius Ecclesiæ, vt dictũ est suprà. Vnde non placet etiam quod docet *Caietanus* 3 *p. q.* 82. *a.* 6. orationes quas sacerdos fundit in Missâ nomine Ecclesiæ, esse æquè fructuosas siue fiant à malo, siue à bono sacerdote. Melius igitur dicendum cum *Scoto in* 4. *d.* 13. *q.* 2, (quem tamen reijcit) orationes illas fusas à bono sacerdote esse magis fructuosas, seu impetratorias, quia sanctitas Ecclesiæ ex quâ fructus hic attenditur, non est idæa Platonis, vt inquit *Scotus*, sed est sanctitas omnium iustorum in particulari, qui sunt in Ecclesiâ; vnde quò plures erunt iusti, eò sanctior erit Ecclesia; erunt autem plures, si sacerdos sit iustus quàm si esset malus, ergò cùm sacerdos celebrans est iustus, cæteris paribus magis fructuosæ erunt orationes, & ipsa oblatio facta nomine Ecclesiæ & hoc argumentum soluere nititur *Caietanus*, sed frustrà. Vnde *Adrianus in* 4. *de Sacrament. Eucharistia q. vltimâ.* sententiam nostram confirmans, sic ait: *quantum ad valorem Missæ ex parte Ecclesiæ committentis, quæ semper Deo grata est, & feruenti charitate iuncta: malitia ministri non euacuat, aut minuit valorem ipsius; nisi fortè quantum ipse existens pars Ecclesiæ, suo merito censetur Ecclesiam reddere magis acceptam, & deuotam.*

Oblatio, & oratio nomine Eccles. a est minus fructuosa, ubi sacerdos est malus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De fructu sacrificij Missæ respectu sacerdotis offerentis.

DVBIVM PRIMVM.

An ad fructum sacrificij alijs communicandum requiratur in sacerdote status gratiæ?

DIco primò, fructus sacrificij ex opere operato non necessariò requirit statum gratiæ in sacerdote, vt illum fructuosè applicet alteri; sed sufficit vt alter cui applicat, sit in gratiâ. ita *D. Thomas 3. p. q. 82. a. 6.* & alij communiter. Probatur primò; fructus hic ex opere operato est ex institutione Christi, qui illum annectere voluit operi externo sacrificij, independenter à bonitate ministri, cuius malitia eum impedire non potest. Secundò, fructus hic respondet sacrificio quatenus illud offert sacerdos in personâ Christi, cuius sanctitas ob malitiam ministri nunquã inquinari potest. Hinc *Tridentinum sess. 22. cap. 2. Hæc illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentis inquinari potest.* sicut igitur non obstante malitiâ sacerdotis oblatio manet munda, ita & efficax: quia sicut manet munda, ratione Christi offerentis per sacerdotem: ita manet efficax ratione meritorum Christi, quæ sub hoc respectu per eam applicantur. Ratio autem cur Christus ita instituere voluerit sacrificium, & sacramenta, vt eorum fructus non penderet à bonitate sacerdotis, est, quia cùm sacramenta, & sacrificium instituta sint in bonum totius Ecclesiæ, quibus merita suæ Passionis in eum finem communicari voluit; decebat vt collatio huius fructus nõ penderet à bonitate sacerdotum, nec eorum malitia eum impedire posset; præcipuè cùm non priuatam personam, sed publicam agerent, nec fructus eorum sanctitati niteretur. 1 *Fructus sacrificij ex opere operato non necessariò exigit statũ gratia in sacerdote.*

Dico secundò, fructus sacrificij ex opere operato, respondens oblationi sacerdotis in personâ priuatâ, exigit in illo statum gratiæ, ita vt siue pro se, siue pro alijs sub eo respectu offerat, nullus fructus exurget, nisi sacerdos 2 *Fructus respondens oblationi sacer*

dotis in persona priuata, exigit statū gratiæ. sacerdos fuerit in gratiâ. ita *Suarez disp.* 79. *sect.* 8. Ratio patet ex dictis suprà, quia fructus hic totus dependet à deuotione, & dispositione offerentis, quæ sic fructum determinat, vt sicut ex maiori deuotione crescit, & ex minori decrescit: ita vbi nulla est deuotio, seu vbi est peccatum mortale, nullus omninò exurgit. non quòd velimus gratiam in offerente esse principium meritorium huius fructus (sic enim esset ex opere operantis tantùm) sed quòd requiratur tanquam dispositio necessaria in offerente, ad talem effectum; sicut quia sacramenta requirunt dispositionem in recipiente, nullum effectū producunt nisi in personâ iustâ, licet fructus eorum sit ex opere operato: ita licet oblatio hæc priuata sacerdotis exigat in illo dispositionem, & statum gratiæ, non desinit effectus esse ex opere operato. Vnde cùm sacerdos in mortali offert in priuatâ personâ pro seipso, priuatur fructu respondente huic oblationi priuatæ ex duplici capite, scilicet, quatenus est offerens sine dispositione, seu extra gratiam, quæ tamen exigitur: & quatenus est is pro quo offert, qui sub eo respectu ponit obicem effectui. Si autem in persona publica pro se offerat sacrificium in mortali, nullum quidem fructum sacrificij recipit, scilicet satisfactionis, sed ex vnico capite, quia sub eo respectu oblationi eius respondet fructus communis sacrificij; quia tamen sibi existenti in mortali eum applicat, ideò ponit obicem effectui sacrificij, & sub eo solo capite deficit hic fructus; vt patet ex eo, quòd tunc recipiat fructum gratiarum præuenientium, & impetrationis ex sacrificio sibi applicato.

3 Fructus impetrationis respondens Ecclesiæ non necessariò etiam exigit statū gratiæ in sacerdote nomine eius offerente. Dico tertiò, fructus impetrationis respondens Ecclesiæ offerenti, non necessariò etiam exigit statum gratiæ in sacerdote eius nomine offerente. ita *vterque Thomas, & Adrianus suprà.* Patet ex dictis dubio præcedenti, quia licet fructus hic non sit ex opere operato, vt prior, sed tantùm operantis; cùm tamen non nitatur præcipuè in sanctitate sacerdotis, sed totius Ecclesiæ, quæ semper est Deo grata, & quam Deus principaliter respicit, ideò ad eum fructū non necessaria est gratia in sacerdote offerente, nisi quia in quantùm est membrum illius, cùm est in gratiâ reddit eam magis gratam, quantùm est ex suâ parte; proindeque cùm est in mortali, reddit eandem pro suâ parte minùs gratam, & per consequens illi minor fructus impetrationis pro eâ parte respondet.

4 Fructus sacrificij ex opere operantis exigit statum gratiæ, & quo sēsu. Dico quartò, fructus sacrificij ex opere operantis respondens oblationi sacerdotis in priuatâ personâ, requirit in eo statum gratiæ, ita vt si sit in mortali, nullus inde fructus exurgit. Non quòd omnia bona opera peccatorum nullius omninò sint fructus, cùm de facto sint meritoria de congruo gratiarum præuenientium, & vtcumque impetratoria; sed quia oblatio

tio hæc non solùm est hominis peccatoris, sed est etiam peccaminosa, cùm celebrando peccet mortaliter: actioni autem peccaminosæ nullus fructus respondere potest. Quod intellige de actione substantiali sacrificij; aliter enim loquendum est de orationibus siue in sacrificio, siue extra illud fusis, quibus respondet prædictus fructus gratiarum præuenientium.

Dices, si oblatio sacerdotis mali in se est peccaminosa, quomodo illimet actioni respondere potest fructus aliquis respectu Christi, & Ecclesiæ, vt dictum est, cùm actio in se mala nunquam possit aliquâ bonitate affici. 5
Respondeo oblationem sacerdotis si semel est peccaminosa, semper manere talem, nec aliquâ bonitate affici posse; quia tamen Christus, & Ecclesia, extrinsecâ quâdam habitudine eam respiciunt, quatenus eorum nomine fit, ideo in ordine ad Christum, & Ecclesiam spectatur sub ratione oblationis simpliciter, non sub ratione oblationis malæ, quia malitia non est à Christo, nec Ecclesiâ in oblatione, quæ tamen moraliter dicitur esse Christi, & Ecclesiæ, ideoque non desinit respondere fructus aliquis isti oblationi respectu Christi, & Ecclesiæ.

Quomodo oblationi in se mala respondet fructus.

Quæres, an sacerdos celebrans in mortali satisfaciat obligationi quam habet celebrandi pro aliquo? Respondeo affirmatiuè, iuxta omnes DD. Patet ex dictis, quia non desinit applicari fructus sacrificij ex opere operato ei pro quo celebrat; immò in nostrâ sententiâ fructus hic ex opere operato semper est æqualis, & inuariabilis. Quoad fructum autem ex opere operantis, est alia difficultas: an scilicet sacerdos celebrans pro alio, intendat se obligare ad ei applicandum, non solùm fructum ex opere operato, sed etiam operantis; in quo melior sentẽtia *Gabrielis lect. 26. Caietani tom. 2. tract. 3. q. 2. §. ex his ergò. Aragonij 2. 2. q. 85. art. 3. & Henriquez l. 9. cap. 18. in scholijs ad numerũ quintum*, est, sacerdotẽ pro alio ex obligatione celebrantem, solùm intendere ei applicare fructum sacrificij ex opere operato, non autem ex opere operantis. Ratio est, quia sacerdos intendit solùm offerre pro illo sacrificium, & fructum sacrificio proprium applicare, qui est fructus ex opere operato; præcipuè cùm offerat pro alijs tanquam minister publicus, proindeque fructum ministerio illi publico annexum solùm applicare intendat; vnde si quam adhibeat deuotionẽ, si quos pios motus, omnis fructus eis correspondens, non solùm augmenti gratiæ, sed & meriti gratiarum præuenientium, & satisfactionis, totus cedit in vtilitatem offerentis. Immò iuxta *Aragonium* potest non solùm fructum hunc sibi retinere, sed & alteri pro libitu applicare; sicut & fructum orationum quæ funduntur in Missâ; quod colligit ex eo, quòd celebrans in mortali 6 7

Sacerdos satisfacit obligationi celebrans in mortali.

Sacerdos celebrans pro alio, solùm fructum ex opere operato applicat.

 satisfacit

satisfacit obligationi, vt dictum est; nihil tamen huius fructus ex opere operantis applicat.

8 Dices, plures docere Missam boni, & deuoti sacerdotis plus prodesse ijs quibus applicatur, quàm mali, & peccatoris; idque ideò, quia Missæ sacerdotis boni respondet maior fructus ex opere operantis; ergò censent fructum aliquem ex opere operantis applicari eis pro quibus Missa dicitur.

An Missa deuoti sacerdotis sit alijs fructuosior.

Respondeo hanc esse plurium explicationem, & sententiam. Alij docent in eò casu Missam deuoti sacerdotis plus prodesse ex opere operato, quia putant fructum hunc augeri ex maiori deuotione celebrantis; quod *disp. 3. d. 6.* reiecimus. Meliùs igitur hâc in re dicendum est, Missam deuoti sacerdotis non magis prodesse alijs ex opere operato; nec necessariò ex opere operantis, cùm, vt dictum est, non teneatur celebrans illum fructũ ei applicare. Interim tamen cùm rogetur sæpiùs Missa de aliquo Sancto, in ordine ad effectum specialis impetrationis, v. g. de sancto Rocho pro peste, &c. ex communi sensu populi, & intentione sacerdotum acceptantium, cùm specialis effectus impetrationis exigatur per merita talis Sancti, tunc putandum est eis applicari effectum aliquem impetrationis ex opere operantis; deinde sæpiùs sacerdos prò suâ deuotione applicat collectam ei pro quo celebrat; item fiunt semper orationes in Memento pro illo; & sub his titulis in nostrâ sententiâ dici potest Missam boni, & deuoti sacerdotis magis prodesse, quàm mali. Non placet autem in hâc materiâ, quod docet *Aragonius suprà*, quòd si quis petat Missam de Spiritu sancto, vel de defunctis, vel de alio sancto, aut vt apponatur collecta de beatâ Virgine; non teneatur sacerdos illi acquiescere, nisi ob specialem illum laborem non debitum, eleëmosynam augeat: quod certè videtur nimis mercenarium.

DVBIVM SECVNDVM.

An maior sanctitas sacerdotis offerentis aliquid conferat ad maiorem fructum ex opere operato, & operantis ex sacrificio consequendum?

Gendum erat hîc an maior deuotio sacerdotis offerentis aliquid conferat ad maiorem fructum non solùm ex opere operantis, quod patet, sed & ex opere operato; sed quia *disp. 3. d. 6.* id explicauimus, nil speciale restat dicendum, sed solùm notandum in nostrâ sententiâ ibidem explicatâ, fructum ex opere operato respondentem sacerdoti vt personæ publicæ non augeri ex maiori deuotione, sed tantùm fructum respondentem eidem vt personæ priuatæ. Restat autem inquirendum, an non solùm maior deuotio sacerdotis, sed & maior illius sanctitas habitualis augeat fructum sacrificij ex opere operato, & operantis; & quæstio maximè locum habet in fructu ex opere operantis; & coïncidit cum aliâ quæstione quæ tractari solet in materiâ de merito: an actiones hominis sanctioris cæteris paribus sint magis fructuosæ, quàm minùs sancti. De quo omissis diuersis sententijs

9 Respondeo breuiter, & dico primò, maior sanctitas operantis plùrimum confert ad maiorem fructum impetrationis. Patet ex dictis hâc disput. fructus enim impetrationis fundatur in bonitate, & misericordiâ Dei; qui multò faciliùs flectitur, & exaudit preces sacerdotum qui maiori sunt præditi sanctitate, cùm sint apud eum præstantioris conditionis, & maiores amici. Deinde cùm sanctus orat, & offert sacrificium ad impetrandum aliquid à Deo, repræsentat quasi Deo omnia sua merita, omnem gratiam, & dona supernaturalia, vt eorum intuitu Deus faciliùs flectatur ad misericordiam, & postulata concedat. Hinc orta est consuetudo in Ecclesiâ orandi sanctos, vt scilicet, quod defectu sanctitatis propriæ non ita facilè impetrare possumus, eorum maior sanctitas, & maior inde apud Deum auctoritas faciliùs impetrare possit.

Maior sanctitas sacerdotis multũ prodest ad maiorem impetrationem.

10 Dico secundò, maior sanctitas sacerdotis offerentis sacrificium, aliquid etiam confert ex opere operantis ad rationem meriti gratiæ, & gloriæ, ita vt cæteris paribus magis meritoria sit actio sanctioris, quàm minùs sancti, licet actio minùs sancti, ratione maioris intentionis possit esse magis meritoria.

Maior sanctitas sacerdotis, &

aliorum aliquid conf. rt ad maius meritũ gratiæ & gloriæ.

ritoria. ita *Suarez lib. 12. de gratiâ cap. 22 Valent. 1. 2. disp 8. q. 6. p. 3. Henriquez de vltimo fine c. 10. n. 1. Granad. 1. 2. tract. 11. disp. 2. sect 2. Ioannes de Lugo 3. p. disp. 5. sect. 7 &c.* Probatur primò, sicut actiones Christi sunt infiniti valoris, & meriti, ob infinitam dignitatem suppositi: ita actiones, & sacrificium sacerdotis sanctioris, cæteris paribus, erunt magis meritoria, quia sicut personalitas Verbi dignificat infinitè personam Christi, ita maior gratia habitualis, magis dignificat sanctiorem. Respondent aduersarij, esse rationem diuersitatis, quia personalitas Christi illi tribuit sanctitatem, & dignitatem substantialem, quæ ita dignificat personam Christi, vt si non physicè, saltem moraliter concurrat ad omnes actiones, illis conferendo valorem infinitum: gratia verò habitualis hominis iusti, est accidentalis, & aduentitia, quæ eâ ratione non videtur posse ita dignificare actiones illius, vt secundùm quantitatem gratiæ habitualis, augeatur earum meritum. Sed contrà, in humanis augetur etiam valor actionum ratione conditionis accidentalis: sic enim actiones Regis sunt maioris valoris, quàm plebei; dignitas tamen regia est accidens morale.

11 Instant aduersarij, personalitatẽ Verbi, & dignitatem regiam augere valorem actionum, licet vna sit substãtialis, alia accidentalis, quia vtrumque est quid personale, & afficiens ipsam personam; sicque etiam afficit omnes actiones, & dicitur ad eas moraliter concurrere: gratia verò habitualis non est dignitas personalis, quæ in omnes actiones influere possit, cùm actiones ordinis naturalis non afficiat, nec eas dignificet: habet igitur solũ rationem cõditionis requisitæ ad meritum in actibus supernaturalibus: cùm igitur non sit quid personale, non est mirum quòd dignitas regia quæ talis est sicut personalitas Verbi, dignificet, & augeat valorem omnium actionum, & non ipsa gratia. Respondeo gratiam habitualem afficere etiam ipsam personam, quia sicut ex dignitate regiâ persona dicitur regia: ita ex gratiâ, persona est Deo grata; ideoque æquè moraliter influit, & dignificat actiones. Deinde falsum est, gratiam non afficere actiones naturales; illæ enim sunt semper actiones hominis sancti, & Deo grati. Quòd autem talibus actionibus non respondeat præmium supernaturale, oritur solùm ex eo, quòd nec formaliter, nec relatiuè habeã aliquid supernaturalitatis, quod requiritur in actione, cui respondet præmium supernaturale.

Gratia habitualis dignificat personam.

12 Probatur secundò, ad rationem valoris, & meriti, sicut requiritur bonitas in actibus, ita & gratia habitualis in operante, tanquam dispositio positiuè dignificans suppositum. Ergò sicut ex maiori bonitate actionum crescit valor, & meritum: ita ex maiori gratiâ habituali. Respondent aduersarij negando consequentiam, quia ad libertatem requiritur cognitio obiecti

obiecti, ex quo tamen non sequitur, ex maiori cognitione oriri maiorem libertatem; cùm contrarium in visione beatificâ reperiatur. Contrà tamen dico, probationem esse validam, & ad obiectionem respondeo, esse magnam disparitatem inter cognitionem obiecti ad libertatem, & gratiam habitualem ad meritum: cognitio enim obiecti, est quidem conditio requisita ad libertatem actus, potest tamen esse tanta, quæ conuincat intellectum, qui ideò necessariò se ad vnum determinat; & hoc modo libertas deperditur in beatis; vnde non est mirum quod augmentum huius conditionis minuat libertatem, cùm sit in hoc peculiaris ratio. At verò gratia habitualis ita est conditio & dispositio requisita ad meritum, vt positiuè reddat subiectum capax, & dignum meriti; proindeque nil impedit, quò minùs per augmentum gratiæ subiectum reddatur capacius, & dignius. Deinde gratia habet rationem veræ dispositionis habitualis in operante; ergò vbi erit maior hęc dispositio, quid impedit, quò minùs augeatur effectus in valore & merito?

Probatur tertiò, maior sanctitas sicut eleuat personam, & reddit eam sanctiorem, digniorem, & excellentiorem: ita & eleuare debet eius actiones, quæ proinde erunt sanctiores, digniores & excellentiores; & vt tales erunt maioris valoris, & meriti. Confirmatur: meritum nonsolùm respicit opus, sed & personam operantem: ergò &c. Respondent, verum quidem esse, gratiam habitualem eleuare, & dignificare actiones, & in eas moraliter influere, sed tantùm iuxta mensuram intensionis, & præstantiæ ipsarum actionum, & non vltrà: sicque manet non obstante eo influxu, meritum non excedere substantiam actionis ob maiorem sanctitatem; eo modo quo in nostrâ sententiâ, intellectus perfectior, concurrit per virtutem naturalem ad visionem beatificam, non producit tamen cæteris paribus visionem perfectiorem, quia non plus concurrit quàm eleuetur per lumen gloriæ, & concursum supernaturalem; sicque eius virtus licet perfectior, conformatur principijs supernaturalibus: ita etiam de gratiâ habituali dicendum erit, quæ morali suo influxu, & dignificatione, se conformat perfectioni ipsius actionis in ordine ad meritum, nec illius virtutem excedit. Respondeo aliud esse loqui de intellectu concurrente ad visionem beatificam; aliud de gratiâ habituali influente in actiones meritorias: intellectus enim licet maiori virtute naturali præditus sit, quia tamen concurrit per eam virtutem ad actum supernaturalem, non potest plus influere quàm eleuetur, sicque non exerit, vt ita dicam, omnes vires suas, quia aliàs in actu supernaturali esset aliquis gradus naturalis, & non eleuatus: gratia verò habitualis, moraliter influens in actus meritorios, 13

Aliter intellectus concurrit ad visionem beatificam: aliter gratia habitualis ad meritum.

est

est eiusdem ordinis supernaturalis, nec dependet ab intensione actus ad exerendam virtutem suam, in ordine ad valorem, & meritum, sed secundùm se tota influit, & eleuat actiones ad maius meritum

14 *Maior sanctitas confert etiam aliquid ad maiorem satisfactionem.* Dico tertiò, maior sanctitas sacerdotis aliquid etiam confert ad maiorem satisfactionem sacrificij ex opere operantis. Patet ex dictis; si enim eleuat actiones & reddit eas maioris valoris, & meriti, gratiæ, & gloriæ; ergò etiam maioris satisfactionis; & colligitur ex eo, quòd dignitas Verbi diuini non solùm reddidit actiones Christi infinitè meritorias, sed & satisfactorias.

Posito autem quòd maior sanctitas sacerdotis tribuat speciale aliquem valorem sacrificio ex opere operantis, sicut & alijs actionibus: quæritur an idem dicendum sit de fructu ex opere oprato; & in nostrâ sententiâ quæstio solùm est de fructu proueniente sacerdoti vt priuatæ personæ, & laicis coöfferentibus; & ratio dubitandi est, quia fructus ille augetur ex maiori deuotione, quæ habet rationem maioris dispositionis, quæ in supernaturalibus æquè ac naturalibus concurrit ad productionem effectus perfectioris; licet autem sola actualis deuotio habeat rationem actualis dispositionis, maior tamen sanctitas rationem etiam habet dispositionis cuiusdam saltem habitualis, quæ sicut auget valorem sacrificij ex opere operantis; ita videtur augere ex opere operato. Contrà tamen

15 *Maior sanctitas sacerdotis nil confert ad maiorem fructum ex opere operato.* Dico quartò, maior sanctitas sacerdotis offerentis sacrificium nil confert ad augmentum fructus illius ex opere operato. Probatur, assignando differentiam inter valorem actionum ex opere operantis, & ex opere operato, in hoc quòd valor, & fructus ex opere operantis sumatur non solùm ex ipsâ perfectione, & intensione actionum, sed etiam ex ipsâ personâ operante, ideoque quò operans est sanctior eò maioris valoris sunt eius actiones, vt dictum est: at verò in fructu operis operati attenditur institutio Christi tribuentis sacrificio certum effectũ independenter à sanctitate ministri: cùm igitur fructus hic sacrificij in sui applicatione, & collatione non pendeat à sanctitate ministri, rectè sequitur eius sanctitatẽ nil conferre. Instabis, licet effectus sacrificij ex opere operato respondens personæ publicæ, non necessariò pendeat à sanctitate, & deuotione sacerdotis; in multorum tamen sententiâ, quò maior est deuotio, eò maior effectus ex opere operato confertur; ergò quò maior erit sanctitas sacerdotis, maior etiam erit hic fructus. Respondeo negando consequentiam, quia maior deuotio respectu fructus prædicti habet veram rationem dispositionis, ideoque quò illa maior est eò maior etiam est fructus; sanctitas verò non habet rationem dispositionis ad hunc effectum, sed solùm remouet

mouet obicem, ideoque siue sit maior, siue minor, nil mutat in ipso effectu. Deinde licet concederemus sanctitatem habere rationem cuiusdam dispositionis, illa tamen est nimis remota, & habitualis tantùm; ad augmentum autem huius fructus sacrificij ex opere operato, requiritur maior dispositio actualis: eo modo quo in naturalibus causa producit effectum perfectiorem in subiecto actualiter meliùs disposito. Denique sanctitas sacerdotis sanctioris, facit quidem deuotionem, quâ offert sacrificium, in se esse maioris valoris; sed non facit deuotionem esse maiorem: fructus autem ex opere operato, ex solâ maiori deuotione actuali augetur.

DVBIVM TERTIVM.

An sacerdoti offerenti sacrificium sub eo respectu quod offert, respondeat fructus aliquis ex opere operato?

Vasquez *disp. 231. cap.* 3. docet sacrificium non prodesse ex opere operato sacerdoti, quatenus illud offert, sed solùm quatenus pro se, sicut & pro alijs offert. Eum sequitur *Hurtado disp. 3. diff.* 9. Ratio eorum est, quia sacrificium Missæ habet se instar sacramentorum ad producendum suum effectum ex opere operato: sacramenta autem non prosunt ex opere operato ministris illa applicantibus, sed solùm quatenus etiam illis applicantur, & ab ipsis sumuntur. Ergò & sacrificium non prodest ex opere operato sacerdoti offerenti, nisi quatenus pro seipso offert, sicut & pro alijs. & hi Doctores citant *Suarez disp. 79. sect.* 8. pro contrariâ sententiâ, eò quòd doceat sacrificio respondere fructum aliquem ex opere operato respectu omnium offerentium, nempè sacerdotis, ministrantium, adstantium, & aliorum aliquo modo coöperãtium, sub illo respectu quod offerunt, quamuis pro illis non offeratur. Sed quod ad me, non video fundamentum dissidij inter hos Doctores, si bene se mutuò intelligant, nisi fortè in modo sententiam suam explicandi. Pro quo 16

Nota suprà *disp. 3. d. 6. & 7.* nos non probasse explicationẽ *Vasquez*, quâ 17
comparat sacrificium sacramentis, in hoc quod sicut fructus sacramentorum determinatur ex deuotione eorum quibus conferuntur: ita & fructus sacrificij ex deuotiõne eorum quibus applicatur. & eam doctrinam reiecimus, assignantes similitudinem sacrificij & sacramentorum in

hoc, quòd sicut sacramenta consistunt in receptione: ita sacrificium in actione; & sicut sacramenta producunt effectum perfectiorem in subiecto meliùs dispofito: ita sacrificium producit effectum perfectiorem, vbi actio sacrificij, seu oblatio est perfectior. Hoc posito

Tertius fructus sacrificij ex opere operato respondet oblationi sacerdotis quatenus est offerens.

18 Hâc in re dicendum est, oblationi sacerdotis offerentis sacrificium, respondere totum fructum ex opere operato, ita vt præscindendo ab ijs omnibus quibus fructum applicat, siue sibi, siue alteri, totus fructus sacrificij respondeat suæ oblationi; illi enim propriè respondet fructus ex opere operato, qui etiam sub illo solo respectu determinatus est, absque eò quòd determinetur per deuotionem recipientium. & in hoc discrepamus à *Vasquez*, & *Hurtado*. Quia tamen fructus hic ex opere operato respondens oblationi debet alicui conferri, id fit per intentionem, & applicationem sacerdotis, qui primò sibi, deinde alijs fructum hunc applicat pro voluntate: ita vt totus fructus sortiatur suam naturam independenter ab hâc intentione, seu applicatione, quæ solùm habet quasi rationem donationis fructus sacrificij respondentis oblationi sacerdotis vt sic:

Licet fructus respondeat sacerdoti, & alijs quatenus offerentibus, nulli tamen tribuitur nisi per intentionem & applicationem offerentium.

19 Vnde cùm dicimus sacerdoti, & alijs offerentibus respondere fructum ex opere operato, sub eo solùm respectu quod offerunt: sensus est, eorum oblationi respondere fructum ex opere operato, independenter ab omni aliâ re; Cùm quo tamen rectè concordat, neque sacerdotem, neque alios offerentes recipere hunc fructum, nisi eum respondentem suæ oblationi, sibi applicauerint, quia si totum illum fructum applicent alteri, sicut possunt in nostrâ sententiâ, nihil omnino recipient; nec aliud intendit *Suarez*, cùm dicit omnibus offerentibus cum sacerdote sub eo solùm respectu quod offerunt, absque eo quòd pro illis offeratur, respondere fructum aliquem ex opere operato; non enim vult priuatos coöfferentes non applicare sibi fructum propriæ oblationis, cùm in ipsius sententiâ non possint applicare alijs; sed quòd licet sacerdos pro illis non offerat, nec fructum aliquem applicet, non desinent tamen ex propriâ oblatione, pro se scilicet factâ, & sibi applicatâ, fructum aliquem recipere ex opere operato. Aliud igitur est, fructum ex opere operato sacerdoti, & alijs offerentibus respondere sub eo solùm respectu quòd offerunt, quod verum est; aliud, fructum illis tribui sub eodem solùm respectu, independenter ab applicatione. quod falsum est; nec puto aliquem id docere, cùm totus fructus sacrificij dependeat ab applicatione, nec alicui prosit nisi per intentionem, & applicationem.

DVBIVM

DVBIVM QVARTVM.

Quis fructus accidat sacerdoti ratione charitatis quâ fructum sacrificij applicat alijs?

CErtum est esse actum magnæ charitatis, fructum sacrificij alijs indigentibus applicare, & præcipuè peccatoribus ad conuersionem, & defunctis ad liberationem; & hoc maximè cùm fit sine stipendio, ex solo motiuo charitatis. Certum etiam est eum qui applicat fructum alteri, illo in tantum priuari, quantum applicat alijs; nisi fortè alio non indigente, vel incapaci, ad illum redeat. Quæritur igitur an ratio charitatis quâ id facit, compenset eam deperditionem. Vnde

Respondeo, & dico, cùm sacerdos ex charitate applicat fructũ sacrificij alijs indigentibus, ratione charitatis quâ id facit, recipit quandoque, immò & sæpiùs maiorem fructum, quàm sit is quem deperdit. Indicat *Richard. in 4. d. 45. a. 2. q. 3. ad 3. Sot. ibidem q. 2. a. 1. Suarez 3. p. tom. 4. disputat.* 48. *sect.* 3. vbi loquuntur quidem de suffragijs, quod tamen ex consequenti applicatur sacrificio. Probatur, cùm quis offert sacrificium pro alio ex charitate, vltra actionem sacrificij, cuius fructum applicat, elicit actum charitatis maximè fructuosum, & illi respondet fructus meriti gratiarum præuenientium, & satisfactionis, sicut sacrificio; & vltra quod est præcipuum, per illum sacerdos meretur augmentum gratiæ habitualis, & gloriæ: motiuum enim charitatis est præstantissimum inter omnes virtutes, cui proinde respondet magnus fructus gratiæ, & gloriæ; & cùm est Religiosus qui hoc facit, consequitur etiam nouum augmentum gratiæ, & gloriæ, ex motiuo obedientiæ, quo id facit. qui autem sic ex charitate applicat fructum sacrificij alteri, non applicat illi nisi fructum sacrificio respondentem, non autem eum qui respondet actui charitatis quo illum applicat, sed totus ille remanet illius. Hinc *Richard.* suprà hác de re sic ait: *Plus confert sibi illud opus charitatis in bona sua cõmunicando, quàm sibi detrahatur, etiam quoad pœna suæ remissionem de fructu bonorum suorum communicatorum, & bona etiam sic communicata facienti ea in nullo sunt minùs vtilia: sed magis quoad augmentum præmij in vitâ æternâ.* Totum igitur quod potest sacerdos alijs applicare, est meritum gratiarum præuenientium, & satisfactio pro pœnâ;

20

Sacerdos ex charitate applicãs fructum alijs, sępè recipit inde maiorẽ.

pro quibus, vltra hoc quod recipit aliquid prædictorum etiam fructuum, recipit augmentum gratiæ, & gloriæ essentialis, quod multum excedit fructus omnes quibus se priuat. Vnde patet quàm fructuosum sit sæpè iuuare proximum ex charitate, offerendo pro illo sacrificia, suffragia, &c. cùm exinde maiorem sæpiùs fructum consequamur, maximè si fiant ex feruenti zelo charitatis pro conuersione peccatorum, pro liberatione animarum purgatorij, &c. & hæc methodus valdè familiaris fuit viris sanctioribus, qui plurima bona in eum finem Deo offerebant, quibus fœnerabantur; & idipsum viris deuotioribus consulerem, tanquam maximè proficuum.

QVÆSTIO QVARTA.

De fructu sacrificij Missæ respectu diuersorum coöfferentium.

DVBIVM PRIMVM.

An Ministrantes sacrificio, Assistentes, & fieri procurantes verè illud offerant, & quomodo?

1 Gendum hîc est de priuatis fidelibus qui actum aliquem circa sacrificium exercent; vt sunt primò, Ministrantes sacrificio; scilicet Diaconus, Subdiaconus, & alij ministri altaris; chorus item suo cantu ministerium aliquod exercens. Secundò, Assistentes, vt sunt vltra prædictos, populus suâ præsentiâ assistens sacrificio. Tertiò, procurantes fieri sacrificium, siue gratis, siue datâ eleëmosynâ. De his igitur omnibus quæritur an verè offerant; & ratio dubitandi est, quia offerre Deo sacrificium Missæ, est munus proprium sacerdotibus, qui ad id consecrati sunt, & soli in altari actionem substantialem sacrificij exercent, & victimam, vt ita dicam, mactant, virtute vtriusque formæ sacramentalis, quâ vi verborum sanguinem à corpore Christi separant; ex quibus colligi videtur prædictos omnes non sacerdotes dici non posse offerre sacrificium. Interim tamen

Dico

Dico primò, licet soli sacerdotes ex officio ad id deputati, & consecrati offerant. actionem substantialem sacrificij efficiendo; Ministrantes tamen, Assistentes, & procurantes dicuntur etiam offerre, seu coofferre sacerdoti. Ita *Sotus d. 13. q. 2. a. 1.* & alij communiter. Probatur primò, vt prædicti dicantur coofferre sacerdoti, non requiritur vt ex officio actionem sacrificij efficiant, sed sufficit vt specialem aliquem actum circa sacrificium sacerdotis exerceant; quod etiam faciunt, nam primò, Ministrantes, vt Diaconus, Chorus, &c. iuuant sacerdotem ad offerendum, & sacerdote offerente magis principaliter, minùs principaliter offerunt; & *Ianssonius l. 3. de sacrificijs cap. 16.* ait, Diaconos offerre cum sacerdote, non ex deuotione solùm, sed ex officio, & potestate; & probat ex Missali, in quo præcipitur vt Diaconus proferat oblationem Calicis cum sacerdote. Secundò Assistentes, scilicet populus vltra prædictos Ministrantes, qui modo statim explicando ad illud coöperantur. Tertiò, procurantes pro se offerri; & hi vt benè notat *Sotus suprà*, magis specialiter concurrunt ad sacrificium, & illud offerunt, quia qui procurat vt quis actionem aliquam operetur, ei tanquam causæ morali imputatur, proindeque illi moraliter offerre dicuntur; eo modo quo *Leuit. 23.* & *Numer. 28.* populus iubetur sacrificia offerre, quod tamen per sacerdotes faciebat. item *Exod. 5. dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* 2

Non solùm sacerdotes sed & Ministrantes, &c. dicuntur offerre sacrificia.

Probatur secundò. ex Canone Missæ: *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* quibus verbis expressè patet vltra sacerdotes, alios etiam offerre sacrificium; & hi sunt, Procurantes, quorum fecit priùs mentionem in Memento; & Circumstantes, qui sunt Ministrantes, & alij Assistentes. Item ex alijs verbis Canonis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, &c.* & *vnde & memores Domine nos serui tui. sed & plebs tua sancta, &c.* quæ verba licet intelligi possint de omnibus fidelibus; meliùs tamen sumuntur pro solis prædictis specialiter concurrentibus. De quo vide *Alcuinum lib. de diuinis officijs cap. 39.*

Difficultas autem hîc est, an Assistentes, qui nec Ministrant, nec sacrificium fieri procurant, ratione solius præsentiæ verè offerant, quando cum animi deuotione præsentes sunt sacrificio. Pro quo

Dico secundò, Assistentes eo ipso quo cum animi deuotione præsentes sunt sacrificio, dicuntur illud cum sacerdote offerre; non quòd sola hæc præsentia, etiam cùm animi deuotione, denominationem hanc illis tribuere possit, cum angeli hoc modo dicerentur etiam offerre; sed quòd speciali quodam modo concurrant ad sacrificium, suâ præsentiâ illud ap- 3

Quâ ratione assistentes dicuntur offerre.

probando, & authorizando, vt inquit *Aragonius infrà*; immò & specialiùs quàm omnes fideles hostiam, & victimam moraliter tradunt in manibus sacerdotis; eo modo quo in veteri lege illi propriè dicebantur offerre, qui victimam offerendam sacerdoti præbebant; quod non solùm de Assistentibus, sed & Ministrantibus, & Procurantibus dici potest.

DVBIVM SECVNDVM.

An omnes priuati offerentes dubio præcedenti citati, fructum aliquem ex opere operato inde recipiant?

4 *Sententia Coninck.*



Coninck *q. 83. art. 1. d. 9.* negat, & docet soli oblationi sacerdotis, & solùm quatenus offert in personâ Christi, respondere fructum ex opere operato; assistentes autem, & alij specialiter coöfferentes, recipere solùm fructum maioris impetrationis, quatenus eorum orationes sacrificio coniunctæ, maioris sunt efficaciæ. Ratio est, primò, quia sola oblatio sacerdotis habet veram rationem sacrificij cùm per illam solam Christus immoletur; ergò illi soli respondet fructus ex opere operato. Secundò, Christus promisit fructum soli illi actioni quâ immolatur, & consecratur Corpus & Sanguis suus, quod est solius sacerdotis. Tertiò, vt priuatis coöfferentibus respondeat fructus aliquis, requiritur status gratiæ, quod est contra rationem fructus ex opere operato. Interim tamen

5 *Fideles cooperantes sacrificio recipiūt fructum ex opere operato.*

Respondeo, & dico, quòd licet sententia *Coninck* negatiua sit probabilis, magis pia tamen est, & æquè probabilis affirmatiua, quod scilicet ministrantibus, assistentibus, & procurantibus, qui speciali aliquo concursu ad sacrificium coöperantur, fructus aliquis ex opere operato proueniat, isque maior vel minor secundùm gradum coöperationis, & deuotionis. Et hanc docent ferè communiter Doctores, qui quæstionem hanc attigerunt, *Caiet. tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2.* vbi non solùm id affirmat de ijs qui specialiter ad sacrificium concurrunt, sed & de omnibus fidelibus. *Sotus suprà. Aragon. q. 85. a. 3. §. quocirca. Sylvester verbo Missa n. 9. Suarez disp. 79. sect. 8. Henriquez lib. 9. cap. 21. n. 4. Filliuc. tract. 5. cap. 3. quæsit. 6. Mercerus quæst. 83. d. 5. &c.* Probatur primò, sacrificium Missæ naturâ suâ habet annexum fructum ex opere operato; ergò omnibus verè offerentibus confertur hic fructus; sed ministrantes, & alij speciali concursu coöperantes

tes ad sacrificiũ, verè denominantur offerre vnà cum sacerdote, vt dictum est, ergò fructum recipient etiam cum sacerdote ex opere operato. Confirmatur, sacerdos tanquam minister publicus offert nomine eorum maximè, qui specialiter ad sacrificium concurrunt, qui omnes vnà cum sacerdote constituunt aliquid vnum morale offerens; ergò illi omnes vnà cum sacerdote ratione propriæ oblationis recipiunt fructum ex opere operato; præcipuè cùm in Canone dicantur æquè bene offerentes, ac sacerdos: *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Respondet 6
Coninck num. 152. solum sacerdotem ex officio nomine aliorum offerre, ideoq; soli eius oblationi respondere fructum ex opere operato; & confirmat ex eo quòd qui rogat alterum vt suo nomine communicet, non recipit ideò fructum ex opere operato; ita, &c. sed contrà, licet sacerdos solus ex officio, & principaliter offerat; non desinunt alij cum illo, & per illum minùs principaliter offerre. Vnde ad confirmationem respondeo, eum qui rogat alterum vt suo nomine communicet, non recipere exinde fructum ex opere operato, quia sacramentum Eucharistiæ consistit in receptione physicâ, ideoque ad fructum eius recipiendum requiritur actualis eius receptio; vnde non est mirum, talem non recipere fructum illius: sacrificium verò consistit in actione; cùm igitur nõ solùm sacerdos, sed & ministrantes, &c. actionem aliquam erga sacrificium exerceant, eorum oblationi æquè ac sacerdotis respondere potest fructus ex opere operato.

Reijcitur ratio Coninck.

Probatur secundò, licet solus sacerdos sacramentum Eucharistiæ conficiat, non desinunt tamen fideles illud suscipientes recipere fructum illius ex opere operato: ita licet solus sacerdos ex officio offerat sacrificiũ, non desinent fideles speciali concursu verè coöfferentes recipere etiam fructum illius ex opere operato, licet minorem quàm sacerdos.

Tertiò, si sacrificia veteris legis contulissent fructum ex opere operato, populus victimas offerendas sacerdoti tribuens, & suâ præsentiâ assistens, recepisset fructum ex opere operato ratione propriæ oblationis, & coöperationis: ergò & fideles specialiter concurrentes ad hoc sacrificium recipiunt fructum ex opere operato, ratione propriæ oblationis, cùm dictum sit eos speciali quodam modo victimam quasi in manibus sacerdotis ponere, & suâ coöperatione coöfferre. Deinde aliàs esset inconueniens affirmare eum qui specialiter coöperatur ad sacrificium, & illud offert, non recipere plus fructus ex sacrificio, quàm qui non coöperatur.

Ad primam rationem in contrarium, patet solutio. Ad secundam respondeo, soli sacrificio per sacerdotem tanquam legitimum ministrum ob- 7
lato

lato promisit Christus fructum ex opere operato, non autem soli sacerdoti, sed omnibus verè offerentibus, quales sunt etiam ministrantes, &c. Sic enim rectè explicari potest Christi promissio facta sacrificio.

Ad tertiam respondeo, non est contra naturam fructus ex opere operato, requirere gratiam in subiecto, cùm recipiens Eucharistiam, & alia sacramenta in mortali, nullum etiam fructum ex opere operato recipiat. Solùm igitur verum est fructum ex opere operato non exigere gratiam in sacerdote ministrante sacramenta, & offerente sacrificium, quia cùm in illis operetur in personâ Christi & Ecclesiæ ideo Christo, & Ecclesiâ semper existentibus gratis, non requiritur sanctitas sacerdotis offerentis, nec eius malitia oblationem inquinare potest, vt dictum est. At verò cùm fideles offerunt cum sacerdote, habent solam rationem personarum priuatarum, quæ cùm nullam aliam repræsentent, debent esse Deo gratæ, vt fructum consequantur, vt dubio sequenti dicetur; & patet ex eo quòd sacerdos in nostrâ sententiâ non solùm recipit fructum ex opere operato offerens in personâ Christi, sed & in personâ priuatâ; & licet fructus respondens oblationi in personâ Christi non requirat statum gratiæ in sacerdote; requirit tamen oblatio in personâ priuatâ, ita vt si sit in mortali, nullus fructus ex opere operato respondebit.

Ex dictis constat, sententiam hanc esse probabilem, quæ pietatem sapit, & sacrificij præstantiam, & efficacitatem, Christique in populum fidelem charitatē plurimùm commendāt. Et hâc ex sententiâ multùm allici debent fideles ad Missas frequentandas, cùm ex solâ assistentiâ, aut ministerio fructum aliquem ex opere operato recipiant, eumque maiorem, si maiori præditi sint deuotione. Plurimùm etiam iuuabit eosdem fideles Ecclesias ampliores frequentare, in quibus plura sacrificia simul offeruntur; tunc enim intendendo simul assistere singulis, & de eorum fructu participare, recipient fructum ex opere operato ex singulis, ac si vni post aliud assisterent.

DVBIVM

DVBIVM TERTIVM.

An in priuatis offerentibus requiratur status gratiæ ad fructum fructuosè applicandum?

DIco primò, in priuatis offerentibus requiritur status gratiæ ad hoc vt fructu eorũ oblationi respondente frui possint; idq; ex duplici capite; primò, ratione incapacitatis subiecti, quia nullus in mortali existens recipere potest fructum aliquem ex opere operato, vel sacrificij, vel sacramentorum; quod intellige de augmento gratiæ habitualis, & satisfactione. Secundò ex indispositione offerentium, quia cùm nullus sit fructus taxatus à Deo eorum priuatæ oblationi, sed totus commensuretur eorum deuotioni, maiori, vel minori, rectè sequitur nullum fructum exurgere vbi nulla est deuotio, seu dispositio, id est, vbi non est status gratiæ. 8 *In priuatis offerentibus requiritur status gratiæ.*

9 Aduertit *Sotus d. 13. q. 2. artic.* 1. quòd licet orationes, quas sacerdos in mortali offerens sacrificium, fundit in Missâ, sint fructuosæ, eò quòd eas fundat vt minister Ecclesiæ; preces tamen quas fundunt priuati coöfferentes non sunt fructuosæ, quia non agunt vt ministri Ecclesiæ, sed vt priuatæ personæ; interim tamen orationes quas Clerus coöfferens fundit, sunt fructuosæ, licet ministri sint in mortali, quia sicut & sacerdos agunt ministerium Ecclesiæ.

10 Dico secundò, sacerdoti in mortali offerenti sacrificium, nullus respondet fructus quatenus offert in personâ priuatâ. Sequitur ex præcedenti. sacerdos enim offerens in personâ priuatâ, nil habet speciale supra laicos.

DVBIVM QVARTVM.

An priuati coöfferentes sacrificium cum sacerdote, possint fructum ex opere operato sibi prouenientem applicare alijs, ad modum sacerdotis?



Disp. 1. q. 2. d. 2. dictum est sacerdotem applicare posse alijs fructum sacrificij ex opere operato, non solùm respondentem personæ publicæ, sed & priuatæ; & ex ibidem dictis colligi potest solutio huius quæstionis, cùm sit par ratio fructus respondentis sacerdoti in priuatâ personâ, & laicorum coöfferentium: solùm specialis restat ratio dubitandi, quia solus sacerdos constitutus est, vt tanquam minister Christi offerat pro alijs sacrificium, ideoque solus videtur applicare posse alijs fructum sacrificij ex opere operato; deinde in solam priuatorum offerentium gratiam probabiliter coniunxit Christus eorum priuatæ oblationi fructum ex opere operato. Interim tamen

11 Respondeo, & dico priuatos coöfferentes posse etiã applicare fructum ex opere operato respondentem priuatæ eorum oblationi. Est contra *Suarez disp. 79 sect. 9. Filliucium de sacram. tract. 5. c. 3. quæst. 7.* licet dicant sententiam nostram esse probabilem; & eam tenet *Nauar. cap. 25. numer. 92. Nugnus 3. p. q. 83. a. 1. d. 3. &c.* Probatur ijsdem rationibus loco citato allatis; quibus adde, omnes offerentes, eo modo quo offerunt, posse non solùm pro se, sed pro alijs offerre, & ijs fructum applicare; cùm hoc non repugnet ex ratione talis oblationis; nec aliqua prohibitio contraria ostendi possit; nam ad id quod relatum est, Christum coniunxisse eorum priuatæ oblationi fructum ex opere operato, in eorum fauorem personalem: Respondeo, exinde non sequi eis abstulisse potestatem fructum illum applicandi alijs, cùm adhuc maneant suo modo domini illius fructus, quo æquè ac sacerdos pro suâ voluntate possunt se priuare applicando alijs.

Priuati offerentes applicare possunt alijs fructũ sibi prouenientem.

12 Quæres, an, qui datâ eleemosynâ, vel gratis procurat offerri sacrificium, possit validè applicare fructum illius alicui tertio inscio sacerdote, qui pro ipso offerre intendit? Ratio dubitandi est, quia effectus sacrificij ita coniunctus est intentioni, & applicationi sacerdotis offerentis; vt licet

Dubium

cet per iniquitatem aliò deflectat intentionem non applicando ijs quibus tenetur, & promisit, adhuc applicetur secundùm eius intentionem; ergò sacerdote applicante alicui fructum, licet is alicui tertio applicet inscio sacerdote, intentio, & applicatio sacerdotis prævalebit. Respondeo, effectum sacrificij in eo casu applicari illi tertio, iuxta intentionem illius cui sacerdos applicat. Ratio est, quia cùm quis curat offerri sacrificium, interuenit tacita conditio, quâ intendit acquirere potestatem, & quasi dominium fructus illius, ita vt sit illi liberum sibi illum reseruare, vel alteri applicare; & sacerdos celebrans, cum eâdem conditione illi fructum applicat, intendendo illi transferre plenam potestatem eiusmodi fructus; vnde cùm is fructum applicet alicui tertio, positâ illâ conditione validè applicat, cùm & ipsemet sacerdos tacitè applicet eidem tertio, casu quo is qui sacrificium rogauit id intendat; sicque intentio vtriusque in idem subiectum tendit, hic expressè & formaliter, sacerdos tacitè & virtualiter.

DISPVTATIO V.

De fructu sacrificij Missæ respectu eorum quibus fit applicatio.

QVÆSTIO PRIMA.

An fructus sacrificij Missæ requirat in eo cui applicatur, statum gratiæ?

CErtum est sacrificium prodesse posse ijs qui sunt in mortali quoad fructum gratiarum præuenientium, cùm illarum sint capaces, & maximè indigeant; & sic *disputat.* 2. explicauimus Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. deinde ijsdem prodesse etiam potest quoad impetrationem, tum earundem gratiarum præuenientium, tum aliarum rerum; & in ordine ad hunc duplicem fructum sæpiùs fructuosè pro conuersione peccatorum sacrificium offertur. Tota igitur difficultas est, an sacrificium applicatum ei qui est in mortali, prosit quoad satisfactionem ex opere operato.

1 *Scotus in 4. d. 15. q. 1. a. 4. Gabr. d. 16. q. 2. a. 3.* volunt existentẽ in mortali satisfacere posse pro pœnis ex peccatis remissis restantibus. Quibus concordat *Nauar. dist. 6. de pœnit. n. 4*: ex quâ sententiâ colligi videtur eosdem velle, applicari posse fructum satisfactionis sacrificij existenti in mortali; & id satis indicare videtur *Nauar. l. de orat. cap. 19. n. 74.* cùm ait existentem in mortali participare in communibus Ecclesiæ suffragijs quoad effectum satisfactionis, ex quo satis colligitur profuturum etiam sacrificium illi applicatum quoad effectum satisfactionis ex opere operato.

Quidam docent aliquem satisfacere posse in mortali.

Nota ex eo nimium sententiâ quam docet *D. Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* nullum satisfacere posse in mortali pro pœnâ peccatis remissis debitâ; sed ad hoc requiritur status gratiæ, vt hîc suppono. Vnde

2 Respondeo, & dico, sacrificium Missæ quoad effectum satisfactionis ex opere operato non prodesse ei qui est in mortali, sed fructus hic exigit statum gratiæ in eo cui applicatur. quod intelligi potest dupliciter; primò, quòd fructus satisfactionis non sit illi profuturus pro eo tempore quo est in mortali, quia existens in mortali, est incapax satisfactionis: & hoc sensu hîc intelligitur. Secundò, quòd non solùm pro eo tempore, sed nec postea fructus satisfactionis sit illi applicandus per resipiscentiam, cùm redierit ad statum gratiæ; & hoc dub. 1. dicitur. Hanc sententiam docent DD communiter cum *D. Thomâ q. 79. a. 7. ad 2.* qui citat *D. August. l. 1. de animâ cap. 9* vbi ait: *quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi;* scilicet per charitatem; quod intellige quoad effectum satisfactionis; nam quoad effectum gratiarum præuenientium rectè offertur pro peccatoribus, & pro illis offertur vt sint membra Christi, vt docet idem *D. Thomas in 4. d. 12. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4.*

Fructus satisfactionis Missæ non prodest existentibus in mortali.

3 Probat hanc conclusionem *Vasquez disp. 231. cap. 7.* & alij plures, ex suppositione suprà factâ, scilicet existentem in mortali non posse satisfacere pro pœnâ temporali; ex quâ docet manifestè sequi hanc conclusionem; sed certè apparet ratio disparitatis, quia quòd quis non possit satisfacere in mortali, est ratione indignitatis personæ operantis, quia actiones personæ existentis in mortali, non habent eam condignitatem vt sint satisfactoriæ vel sibi, vel alteri etiam existenti in gratia; in satisfactione verò sacrificij ex opere operato non est quid simile, cùm fructus hic requirat solùm capacitatem in recipiente: non probatur autem sufficienter incapacitas recipientis satisfactionem sacrificij in mortali, per incapacitatem satisfacientis in mortali. Dicendum igitur suppositionem factam sic intelligi debere, quòd nullus satisfacere possit in mortali, quia neque est capax actiuè ad efficiendum opus verè satisfactorium, nec pro se, nec pro alijs etiam iustis,

Probatio Vasquez explicatur, & in aliquo sensu reijcitur.

iustis; neque etiam passiuè ad recipiendum fructum satisfactionis, ita vt licet à viris iustis ei applicaretur satisfactio aliqua, nil prodesset ratione incapacitatis subiecti; vnde cùm dicitur ex hâc suppositione sequi fructum sacrificij quoad satisfactionem, applicatum peccatoribus nil prodesse, sensus est, quòd sicut existens in mortali non potest satisfactionem efficere, nec recipere: ita neque potest effectum satisfactionis sacrificij recipere. Et hoc sensu vera est probatio ex suppositione factâ, quæ etiam ampliùs sic confirmatur: Peccatum mortale causat indignitatem, & incapacitatem ad satisfactionem actiuam, ergò & ad passiuam; quia sicut incapacitas satisfactionis actiuæ oritur ex eo quòd persona sit Deo odiosa, & inimica: ita & incapacitas satisfactionis passiuæ. Deinde sicut remissio pœnæ æternæ, & mutatio illius in tẽporalem fundatur in amicitiâ diuinâ: ita etiam omnis remissio pœnæ temporalis restantis fit ex suppositâ eâdem amicitiâ diuinâ, siue fiat per sacrificium, siue per opera alia satisfactoria; vnde licet verum sit Christum potuisse hoc sacrificium instituere, vt existentibus in mortali remitteret pœnam peccatis remissis debitam; rationabiliter tamen noluit satisfactionem suæ Passionis applicare, nisi amicis; cùm condonatio pœnæ supponat reconciliationem amicitiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

An fructus sacrificij reuiuiscat sublato obice in eo cui applicatur, seu accedente statu gratiæ?



Ensus est, an sicut Baptismus, & fortè quædam alia sacramenta cùm recipiuntur ab eo qui ob indispositionem, & impedimentum non recipit effectum, sublato illo obice, & accedente dispositione conferunt effectum ex opere operato, vt communiter DD. docẽt cum *D. Thomâ 3. p. q. 69.* ita etiam dicendum sit de fructu sacrificij Missæ; an scilicet cùm applicatur ei qui per peccatum mortale ponit obicem effectui, sublato obice, & accedente statu gratiæ fructus anteà illi applicatus reuiuiscat, & prodesse incipiat.

Nauarrus lib. de oratione, & horis Canonicis cap. 19. n. 74. docet effectum sa- 1
tisfactionis sacrificij, & orationum applicatum ei qui est in mortali, illi profuturum tempore quo redierit ad statum gratiæ. idem docet *Henriqu. 2*

lib. 9. cap. 13. n. 1. & cap. 15. n. 2. & cap. 18. n. 7. quoad fructum satisfactionis ex opere operato. In eandem sententiam inclinare videtur *Caietanus tom 1. opusc. tract. 6. q. 2.* vbi docet satisfactionem sacramentalem quæ fit in mortali, accedente gratiâ recuperare suum effectum, sicut fit in Baptismo, & alijs sacramentis. Et ratio eius est, quia opus sacramentale est opus Dei, quod recedente fictione sortitur effectum: cùm igitur fructus satisfactionis sacrificij sit etiam ex institutione diuinâ, rectè videtur sequi, consequi etiam effectum sublato obice. & à potiori idem docere debent *Palud. in 4. d. 16. q. 1. Capre. ibidẽ a. 4. Syluester verbo satisfactio n. 7.* & plures Thomistæ, qui docent ieiunium, eleëmosynâ, & similia, quæ post se relinquunt effectum, cùm fiunt in mortali non esse satisfactoria, fore tamen adueniente gratiâ, quatenus opera illa manent adhuc in effectu. Et probari potest hæc sententia primò; Christus instituendo sacramenta ita munificum, & liberalem se gessit, vt se debitorem quasi fecerit ad conferendos quosdam effectus ijs qui illa reciperent, idque in tantùm, vt licet tempore receptionis non sint capaces talis fructus, reseruat tamen illum conferendum tempore quo tolletur impedimentum, quia non vult promissionem suam esse frustraneam: ita etiam dicendum est de sacrificio, cui ita coniunxit fructum infallibilem, vt casu quo tempore applicationis subiectum non sit capax, differatur conferendus accedente gratiâ. Contrà tamen

Fructus sacrificij nunquã reuiuiscit sublato obice.

2 Respondeo, & dico, fructum sacrificij nunquam reuiuiscere sublato obice; ita vt si sacrificium non habeat effectum ob indispositionem subiecti, nunquam habiturum sit accedente gratiâ; ita vt qui applicat fructum sacrificij existenti in mortali, nunquam illi quicquam proderit quoad satisfactionem. ita sentire videtur *D. Thomas in 4. d. 4. q. 3. a. 2. quæst. 3. ad 3.* vbi dicit effectum Eucharistiæ non reuiuiscere, sicut Baptismi, quia Eucharistia non imprimit characterem, virtute cuius possit quis recipere fructum recedente fictione; quod à potiori dicet de sacrificio. & *3. p. q. 79. a. 7. ad 2.* docet sacrificium non habere effectum nisi in illis qui habent fidem, & charitatem; vbi absolutè loquitur, nec vnquam meminit reuiuiscentiæ sacrificij, sicut sacramentorum. Idem innuit *Sotus in 4. d. q. 1. a. 8.* cùm docet solùm Baptismum reuiuiscere. *Suarez disp. 79. sect. 8. & 10. Bonauen. de Euchar. disp. 4. q. vlt d. 5. Mercer. q. 83 d. 8.* & alij communiter. Probatur primò; solus Baptismus in nostrâ sententiâ, vel ad summùm sola sacramenta imprimentia characterem fictè suscepta sublato obice reuiuiscunt; idque ob necessitatem aliquam, cùm iterari non possint; in sacrificio verò nulla est ratio id affirmandi, cùm facilè iterari possit, & sic fructus impeditus per indispositionem subiecti, compensari possit per nouam

uam applicationem sacrificij reiterati.

Secundò, cùm sacrificium offertur pro iusto qui non indiget satisfactione, non suspenditur effectus conferendus eo tempore quo indiguerit, vt omnes concedunt: ergò multò minùs suspenditur effectus respectu peccotoris, conferendus cùm ad gratiam redierit; quia cùm hoc non fiat nisi ex speciali gratiâ, debet magis fauere iustis, quàm peccatoribus in simili materiâ.

Dices, status peccati in sacerdote offerente sacrificium non potest irritum reddere fructum illius, eò quòd fit ex institutione diuinâ, independenter à bonitate ministri. Ergò neque status peccati in eo cui applicatur, fructum irritabit, sed ad summũ impediet quò minùs pro tunc conferatur, conferendus tamen redeunte gratiâ. Confirmatur; status peccati in offerente nec impedit, nec irritum reddit fructum, quia est opus Dei: ergò ob eandem rationem status peccati in eo cui applicatur non irritabit fructum, sed ad summum remanebit in acceptatione diuinâ, conferendus adueniente gratiâ. 3

Ad recipiendũ fructum sacrificij requiritur status gratiæ tanquam dispositio, seu capacitas actualiter præuia applicationi.

Respondeo negando vtramque consequentiam, quia ex parte offerentis ad hoc vt exurgat fructus, requiritur solùm vt ponat substantiam sacrificij; vt verò idem fructus conferatur alicui, requiritur dispositio quædam, seu capacitas, idque pro eo tempore quo fit applicatio; quia sacrificium in hoc assimilatur causis naturalibus, quòd sicut causa naturalis ad productionem formæ requirit actualem dispositionem præuiam in subiecto, ita vt dispositio posteà superueniens, sit superuacanea: ita in sacrificio ad productionem effectus requiritur actualis dispositio præuia, & posteà superueniens est frustranea, quia causalitas, & influxus sacrificij tunc desijt, nec superuenientem dispositionem attingit.

4 Instabis, Baptismus, non obstante ratione iam dictâ, reuiuiscit, & effectum consequitur superueniente dispositione; ergò & sacrificium; responderi enim potest ad rationem datam, sacramenta & sacrificium esse causas morales, & in hoc differre à causis naturalibus & physicis, quòd naturales producant formam actu influendo, ideoque requirunt dispositionem subiecti tempore influxus: sacramenta verò, & sacrificium tanquam causæ morales id non exigunt, sed causare possunt cùm desierunt, eo ipso quo effectus remanet in acceptatione diuinâ, conferendus accedente dispositione. Respondeo, sacramenta, & sacrificium esse quidem causas morales; sed quòd Baptismus, & fortè quædã alia sacramenta reuiuiscant superueniente posteà dispositione, non ob naturam causæ moralis, sed ex speciali priuilegio accidit, cui causalitas moralis fauet; in sacrificio verò

verò non potest causalitas hæc moralis fauere, cùm non sit ratio ei tribuendi tale priuilegium, vt dictum est.

Fructus satisfactionis sacramentalis, &c. non reuiuiscunt.

5 Ex dictis sequitur fructum satisfactionis sacramentalis, & aliorum sacramentorum non imprimentium characterem; & à potiori, fructum bonorum operum quæ post se relinquunt effectum, vt ieiunium, eleëmosyna, &c. nunquam reuiuiscere, contra *Paludanum, Capreolum*, & alios; & in bonis operibus specialis est ratio, quia, vt rectè *D. Thomas* 3. *p. q* 49 *a.* 6. bona opera transeunt, nec possunt reproduci; vnde semel producta sine principio vitæ, quæ est charitas, semper manent mortua, & nullius fructus; nec obstat quòd remaneat effectus aliquis, quia ille non est actio satisfactoria, cui respondeat fructus aliquis. vnde non puto *D. Thomam* illius fuisse sententiæ, licet auctores citati ei illud tribuant, cùm loco iam citato contrarium apertè doceat; & alijs locis solis sacramentis imprimentibus characterem reuiuiscentiam attribuat.

QVÆSTIO TERTIA.

An fructus sacrificij applicatus ei qui non indiget, vel non est capax, remaneat in thesauro Ecclesiæ?



On agimus modò de fructu sacrificij applicato defunctis, de quo specialis quædam est ratio infrà tractanda; sed de fructu satisfactionis applicato viuis, qui vel non indigent, quia nil habent pœnæ soluendum; vel non sunt capaces, quia sunt in mortali: an scilicet fructus ille redeat ad sacerdotem applicantem, vel remaneat in thesauro Ecclesiæ. Dixi (remaneat) non autem (reponatur) quia non ita rectè quidam dicunt reponi in thesauro, cùm tamen ei nihil addatur, sed solùm remaneat quod ex illo alijs applicandum erat.

1 *Corduba lib.* 1. *q.* 3. *opinione* 5. *Sotus in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 1. docent sub distinctione fructum redire ad applicantem, vel reponi in thesauro Ecclesiæ. *Adrianus quodl.* 8. *art* 3. vult absolutè redire ad applicantem, modò habitu (vt loquitur) sit eius intentionis quòd sibi applicaret si sciret non prodesse alteri. *Henriquez lib.* 9. *c.* 18. *n.* 7. docet probabiliùs fructum illum redire in thesaurum Ecclesiæ.

Ecclesiæ

Dicendum igitur quòd quoties sacerdos nulli alteri applicat fructum sacrificij censetur sibi applicare, idque per intentionem virtualem, seu interpretatiuam, quâ quoties non applicat fructum bonorum operum alteri à se, censetur velle sibi applicare; item ex aliâ intentione quâ maximè suis bonis operibus intendit sibi prodesse quantùm potest; vnde ex hâc parte nullus fructus manet inapplicatus. Si autem applicet fructum ei qui non indiget, vel non est capax, tunc putandum est fructum redire ad applicantem, nec remanere in thesauro Ecclesiæ (de fructu applicato viuis loquor.) Ratio est, quia censetur quisq; habere voluntatem interpretatiuam satisfaciendi obligationi, applicando fructum alteri; & casu quo fructus illi non possit prodesse, reseruandi sibi, eo modo ac si nõ applicasset iuxta illud *Ps. 34. Oratio mea in sinu meo conuertetur. & Matt. 10. Pax vestra reuertetur ad vos.* idque ex similitudine columbæ probari potest, quæ *Gen.* 8. non inueniens vbi pes eius requiesceret, ad arcam reuersa est: ita fructus sacrificij cùm non prodest ei cui applicatur, censetur reuerti ad applicantem, nisi intentione aliquâ actuali, vel virtuali aliter disponat, vt dicemus *l.* 3. pro defunctis; aliàs enim si applicans non esset talis intentionis, fructus remaneret in thesauro Ecclesiæ; & fortè satis est probabile, id quibusdã, maximè ignauioribus accidere posse; immò & satis incertum est de alijs, nisi intentio actualis, aut vera virtualis præcesserit; vnde consulendum est non solùm sacerdotibus, sed & alijs qui fructus bonorum operum alijs applicant, vt simul sint talis intentionis, quòd casu quo ijs quibus applicant non prosint applicent vel sibi, vel alijs. 2

Cùm sacerdos nulli applicat fructum, censetur sibi applicare.

Ex dictis patet fructum sacrificij, sicut & aliorum bonorum operum, esse solùm in potestate facientis eo tempore quo fit: non autem posteà; cùm fructus nunquam manere possit suspensus, sed statim alicui applicatur, vel manet in thesauro Ecclesiæ; vnde quòd quidam objiciunt posse sacerdotem offerre Deo omnia sua sacrificia præterita quoad effectum impetrationis, non est simile, quia, vt dictum est suprà, illa offeruntur per modum cuiusdam sanctitatis habitualis, cuius intuitu Deus postulata concedit, quod non dicit applicationem cuiusdam fructus præteritij de quo hic est sermo. 3

Fructus est solùm in potestate facientis, quando illud fit.

P QVÆSTIO

QVÆSTIO QVARTA.

Cui fructus sacrificij applicatur, cùm sacerdos obligatus ex iustitiâ applicare vni, applicat alteri?



Acerdos obligatur ex iustitiâ ratione stipēdij ad celebrandum pro aliquo, & non curans obligationem, intendit alteri fructum applicare pro solâ voluntate: an fructus sacrificij prosit ei cui sacerdos applicare tenebatur; an verò ei cui de facto applicat.

Quidam volunt fructũ sacrificij applicari secundum obligationem debitam.

1 *Scotus quodlib.* 20. *a.* 2. *& Gab. lect.* 26. docent, licet dubitando, in eo casu fructum verè applicari ei cui applicare tenebatur, non autem illi cui actu applicauit. Ratio eorum est, quia sacerdos habet vim applicandi quatenus est minister Christi, ideoque non potest contra voluntatem Christi illud applicare: sed intentio quam habet applicandi fructum contra obligationem iustitiæ, est contra voluntatem Christi; ergò, &c. & hanc sententiam plurimi docent respectu sacerdotum Religiosorum, qui si superiore præcipiente vt fructum sacrificij alicui applicent, intendant alteri applicare, applicabitur iuxta voluntatem superioris, non subditi; cùm voluntas superiorum præualeat, tum ratione voti obedientiæ subditi, tum ex obligatione quâ se mancipauit religioni.

Fructus applicatur iuxta voluntatem celebrãtis.

2 Dico igitur primò, cùm sacerdos contra obligationem iustitiæ quam habet applicandi fructum sacrificij vni, applicat alteri, prodest ei cui actu applicat, licet contra iustitiam, est communis. Probatur: sicut se habet sacerdos in administratione, & applicatione sacramentorum, ita & in applicatione sacrificij Missæ; sed validè applicat sacramenta, vnà cum fructu, licet contra obligationem, aut malo fine id faciat; ita & validè fructum sacrificij applicat, licet contra obligationem iustitiæ, & faciendo peccet mortaliter; quia fructus sacrificij non pendet à sanctitate, aut rectâ voluntate sacerdotis, sed sufficit quòd intendendo verè offerre sacrificiũ, applicet fructum alicui. Deinde persona cui applicandus est fructus sacrificij, relicta est, non solùm à Christo, sed & Ecclesiâ, determinationi, & intentioni sacerdotis; ergò iuxta illius voluntatem, & intentionem verè

verè applicatur; quòd verò contra iustitiam operetur id faciendo, solùm dicit eum illicitè, & cum peccato id facere. Denique aliàs sacerdos fructum sacrificij alicui contra obligationem iustitiæ applicans, non teneretur reiterare sacrificium pro eo cui tenebatur applicare, quod omninò falsum est.

Ad rationem contrariæ sententiæ, Respondeo, sacerdotem esse ministrum Christi in sacrificio, sicut & in sacramentis, & eatenus verè conficere sacrificium, & sacramenta, modò normam, & ritum eorum seruet in substantialibus, sicque illa validè facit secundùm voluntatem Christi: quod verò contra obligationem iustitiæ id præstet, solùm dicit eum facere contra voluntatem Christi, quia Christo, & Deo displicet id faciendo, quod non potest irritare applicationem, cùm ea eius liberæ voluntati relicta sit, sed ad summum illicitam reddere.

Dico secundò, sacerdos non regularis qui ex præcepto sui superioris, scilicet Episcopi tenetur applicare fructum sacrificij alicui, applicans alteri, validè etiam applicat. Ratio est, quia potestas iurisdictionis, quam habet Episcopus in illum, non potest irritare eius intentionem, & applicationem, quæ liberæ eius voluntati relicta est; præcipuè cùm non solùm consecratio, sed & applicatio sacerdoti conueniat in persona Christi, cui non potest contrauenire talis superior. An verò idem dicendum sit de sacerdotibus regularibus, qui ex voto obedientiæ strictius se mancipauerunt religioni, maior est difficultas, & bene ponderanda, quæ meliùs, & fundamentaliter explicabitur *Libro de Participationibus, seu Communione bonorum operum Religionum.* 3

Sacerdos contra præceptū Episcopi applicans sacrificium. validè applicat.

QVÆSTIO QVINTA.

An ex fructu sacrificij Missæ à sacerdote applicari possit satisfactio vni, & meritum gratiarum præuenientium aut impetratio alteri?



Ertum est fructum sacrificij ex opere operantis, sicut & aliorum bonorum operum diuidi, & applicari posse diuersis; nam meritum gratiæ, & gloriæ illis respondens, semper manet operantis, deinde satisfactio applicari potest vni, & impetratio alteri. Certum etiam est, cùm fructus sacrificij applicatur defunctis, illis non prodesse quoad meritum gratiarum præuenientium, cùm non indigeant, quod proinde sacerdos applicare poterit sibi, vel alteri. Quæritur autem an cùm quis est capax omnis fructus sacrificij, possit diuidi, applicando fructum satisfactionis vni, & gratiæ aut impetrationis alteri. Pro quo

Idem fructus sacrificij applicari potest pluribus.

1 Dico primò, idem fructus sacrificij applicari potest pluribus, & tunc singuli ex aliorum participatione minus recipiunt. Patet ex eo quòd fructus satisfactionis illius applicari possit pluribus, immò, & omnibus defunctis.

Non potest diuidi vnus fructus sacrificij vni, alius alteri, cum is cui applicatur est omnium capax.

2 Dico secundò, cùm is cui applicatur sacrificium, est capax omnium fructuum illius, non potest sacerdos ei applicare fructum satisfactionis ex opere operato, & alijs fructum gratiarum præuenientium, aut impetrationis. Ita *Vasquez disputation.* 231. *cap.* 6. Ratio est, quia diuisio, & distributio totius fructus sacrificij facta est à Christo, & Ecclesiâ, vt dictum est suprà; sacerdoti autem solùm relicta est potestas applicandi fructum personæ cui voluerit: factâ autem applicatione, fructus omnes sacrificij illi prosunt, si omnium sit capax. Notandum tamen, quòd si pro duobus offeratur sacrificium, quorum vnus est capax solùm vnius fructus, & alter alterius: vt si pro defuncto, & peccatore offeratur; tunc putandum est fructus sacrificij diuidi, ita vt applicetur defuncto tota satisfactio, & peccatori fructus gratiarum præuenientium. Ratio est, quia censetur sacerdos applicare

applicare illis duobus fructum sacrificij, iuxta cuiusque capacitatem; vnde cùm defunctus sit capax satisfactionis, & peccator gratiarum præuenientium, inter eos fructus hoc modo diuiditur.

Aduertit etiam *Henriquez l. 9. c. 21. n. 6.* quòd si Prælatus præcipiat offerri sacrificium pro ijs qui sunt incapaces satisfactionis, vt pro infidelibus conuertendis, posse tunc subditum satisfactionem ex sacrificio ortam applicare sibi, vel alteri. Si tamen iubeat offerri pro pace, & salute regni, pro vitandâ peste, &c. debere tunc subditum applicare satisfactionem, quia Prælatus intendit vt Deus toto illo fructu sacrificij placatus, & satisfactionem suscipiens pro pœnis peccatorum Reipub. concedat benignus pacem, aut pestem auertat eo ipso quo iuxta *Naum cap. 1.* non consurget duplex tribulatio. 3

QVÆSTIO SEXTA.

In quas tandem portiones diuidatur totus fructus sacrificij Missæ respectu omnium qui de illo participant?



Nauarrus in Manu. c. 25. num. 111. diuidit totum fructum sacrificij Missæ in quinque portiones: Primam applicat cuilibet Orthodoxo, eò solùm quòd est orthodoxus. Secundam circumstantibus. Tertiam toti Ecclesiæ, & specialiter ijs qui nominantur in Canone, scilicet Papæ, Antistiti, & Regi; & has tres portiones dicit esse stabiles, quæ nec minuuntur ob maiorem numerum participantium; nec augentur ob minorem. Quartam tribuit sacerdoti celebranti. Quintam denique ijs qui sacrificium fieri procurarunt, aut etiam ijs quibus applicatur; & has duas portiones vult variari, & crescere, aut decrescere pro maiori vel minori eorum numero, esseque maiores alijs. & rationem diuersitatis adfert inter tres priores, & duas posteriores, quòd in prioribus fructus datur pluribus vt singulis; in posterioribus verò pluribus vt vniuersis; & hoc vlteriori ratione probat. 1 *Sententia Nauarri.*

Valentia disp. 6. q. 11. p. 1. §. 25. secutus *Nauarrum*, distribuit fructum Missæ quoad satisfactionem in septem portiones: Primam tribuit omnibus fidelibus viuis, & defunctis. Secundam, specialiter nominatis in Missâ 2 *Sententia Valent.*

 ex

ex Ecclesiæ instituto, scilicet Papæ, Regi. Tertiam procurantibus fieri sacrificium. Quartam assistentibus. Quintam ministrantibus. Sextam sacerdoti celebranti. Septimam ijs quibus sacerdos peculiari intentione applicat. Inter has autem portiones assignat distinctionem, in hoc quòd vltima quam potest sacerdos alteri applicare sit taxata intensiuè & extensiuè; aliæ autem omnes taxatæ sint solùm intensiuè, ita vt gradus intentionis taxatus non minuatur ob multitudinem participantium, sicut in vltimâ portionem innitur.

3 *Sententia Aragonij.* *Aragonius 2. 2. q. 85. a. 3. §. quo circa.* distribuit totum fructum sacrificij in septem etiam portiones, & docet eos maiorem recipere qui sunt causæ propinquiores sacrificij, cæteris paribus. Primam igitur, & præcipuam portionem tribuit ei pro quo offertur sacrificium. Secundam sacerdoti celebranti. Tertiam procuranti fieri. Quartam ministrantibus, & inter eos ordinem etiam assignat. Quintam circumstantibus, qui duplici capite fructum recipiunt; ex eo scilicet quòd sacerdos pro illis offert; & eò quòd suo modo etiam offerunt. Sextam illis de quibus fit mentio in Missâ, vt Papæ, Antistiti, Regi, & quorum meminit in Memento. Septimam denique omnibus fidelibus in charitate existentibus, idque tum quia sacrificium pro illis offertur, tum etiam quia aliquo modo offerunt.

4 Nota quæstionem hanc esse quandam recapitulationem hactenus dictorum, ex quibus omnibus etiam pendet resolutio; vnde non probamus primò, quòd docet *Nauarrus*, triplicem priorem portionem ex enumeratis ab eo, applicatam scilicet omnibus orthodoxis, circumstantibus, & Ecclesiæ, esse firmam, & stabilem, nec variari ob multitudinem, aut paucitatem; quia in nostrâ sententiâ nullus fructus sacrificij est extensiuè infinitus, sed quilibet applicatus multis, minùs prodest singulis; vnde non placet etiam quod contra hoc docent *Aragonius, & Valentia.* Deinde non probamus etiam quòd volunt singulos fideles recipere fructum aliquem ex opere operato ex singulis sacrificijs, siue ex eo quòd pro illis offerantur, siue quia suo modo offerant, quæ omnia etiam suprà reiecimus.

5 *Distributio fructus sacrificij Missæ.* Dicendum igitur totum fructum sacrificij diuidi in varias partes inæquales secundùm maiorem, vel minorem concurrentiam ad sacrificium, vel eius applicationem, vt docet *Sotus d. 13. q. 2. a. 1. Aragonius suprà.* Primò igitur maiorem omnium videtur recipere fructum is pro quo offertur sacrificium: sicut enim sacramenta principaliter instituta sunt in bonum recipientis: ita sacrificium in bonum eius cui applicatur: applicatio verò magis principalis est respectu eius pro quo specialiter intendit celebrare. Secundò sacerdos celebrans; licet enim sacrificium offerat pro alio, recipit

pit tamen fructum illius respondentem oblationi in priuatâ personâ, vt dictum est, & fortè etiam in personâ Christi. Tertiò, procurans fieri sacrificium, siue gratis, siue datâ eleëmosynâ; is enim censetur moraliter concurrere, & offerre sacrificium, & perfectiori modo, quàm ministrantes, & assistentes, ideoque ea est diuersitas concurrentiæ inter illos, vt si dantes eleëmosynam, & assistentes, aut ministrantes concurrant æquali deuotione, non recipient tamen æqualem fructum, sed dans eleëmosynam, maiorem recipiet, cùm concurrentia eius sit perfectior, vt rectè *Nugnus q.* 83. *art.* 1. *d.* 8. si autem hic procuraret etiam dici pro se, reciperet primum, & tertium fructum, quatenus scilicet pro illo principaliter offertur, & quatenus suo modo etiam offert concurrendo ad illud. Quartò ministrantes, inter quos sunt diuersi gradus; illi enim qui propiùs ministrant, maiorem fructum recipiunt ex suo ministerio, cæteris paribus; sic Diaconus plus fructus recipit, quàm subdiaconus; & subdiaconus, quàm Accolitus, & sic de reliquis iuxta ordinem & gradũ vniuscuiusque. Quintò, omnes assistentes; pro ipsis enim à sacerdote offertur etiam sacrificium, immò & suâ præsentiâ etiam offerunt, iuxta illud Canonis: *& omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Sextò, totũ corpus Ecclesię copulatim sumptum, & specialiter quidam in Canone nominati, scilicet Papa, Antistes, & Rex: hi autem sub eo respectu vltra fructum quem recipiunt ex opere operatô, recipiunt etiam alium ex opere operantis, scilicet fructum impetrationis qui respondet oblationi Ecclesiæ, & precibus in Missâ eius nomine fusis; & de hoc fructu explicari potest sententia multorum, qui docent, quòd licet sacerdos iniquâ voluntate conetur impedire fructum prouenientem Papæ, Antistiti, & Regi, non possit; & ratio est, quia fructus ille impetrationis non est in sacerdotis potestate, sed est ipsius Ecclesiæ, & ab eâ applicatus. qui autem dicunt sacerdotem posse illos frustrare suo effectu, intelligendi sunt de fructu ex opere operato, qui totaliter dependet à sacerdote applicante. Septimò, omnes fideles, qui eo ipso quo singula sacrificia pro illis offeruntur, recipiunt fructum aliquem ex opere operato; non quòd ex singulis singuli aliquid recipiant; sed quòd ex omnibus recipiant fructum aliquem diuinâ prouidentiâ distribuendum; nullum autem fructum recipiunt eò quòd suo modo singula sacrificia offerre dicantur, vt suo loco dictum est. Octauò denique, omnes fideles recipiunt fructum aliquem ratione communionis Sanctorum; sicut enim ex omnibus bonis operibus fidelium sub eo respectu, ita ex sacrificijs participant.

Ex

6 Ex his collige quantus fructus proueniat Missam audientibus; singuli enim ex singulis sacrificijs recipiunt fructum quadruplicem: Primò, quia suo modo sacrificia offerunt. Secundò, quia pro illis tanquam assistentibus offeruntur à sacerdote. Tertiò, quia participant in oblatione quæ fit etiam pro omnibus fidelibus. Quartò denique, ratione communionis Sanctorum.



LIBER

LIBER SECVNDVS.

De fructu, & applicatione suffragiorum.



Vlta *Lib.* 1. dicta sunt ad fructum suffragiorum spectantia; & plurima iterum *Lib.* 3. dicentur, quæ ad defunctos spectant, de quibus hoc libro mentionem non faciemus, ideoque breuiter perstringemus quædam scitu necessaria.

Nota suffragium generaliter esse opus bonum applicabile alteri quoad effectum remissionis pœnæ temporalis. Tria autem communiter enumerantur genera suffragiorum, quibus iuuare possumus proximum, scilicet ieiunium, eleëmosyna, & oratio, quibus adiungitur sacrificium Missæ. De solis autem suffragijs orationum agere intendimus: fructus enim orationum affinis est fructui sacrificij Missæ.

DISPVTATIO I.

De quantitate, & infallibilitate fructus suffragiorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An suffragia orationum applicata multis, æquè prosint singulis?

DVBIUM PRIMVM.

An suffragia orationum quoad effectum satisfactionis applicata multis, æquè prosint singulis?

1 *Triplex fructus suffragiorum.*



Ota suffragia orationum habere triplicem fructum apud Deum: primò enim sunt meritoria, quatenus enim procedunt ex gratiâ Dei, sunt meritoria gratiæ, & gloriæ; & hic fructus non potest applicari alteri, sed manet ipsius operantis, iuxta illud 2. *Corinth.* 5. *Vnusquisque recipiet propria corporis prout gessit.* Secundò, sunt satisfactoria pro pœnâ temporali peccatis remissis debitâ, idque illis conuenit quatenus sunt opera pœnalia. Tertiò sunt impetratoria, & hic effectus maximè conuenit orationibus, quibus ex Dei misericordiâ postulata à Deo impetramus. Differt autem hic effectus à merito, quòd meritum gratiæ sit infallibile, & nitatur promissioni, & iustitiæ diuinæ: impetratio verò nititur eius misericordiæ, & liberalitati, ideoque potest sine iniuriâ negare quod postulamus. De effectu igitur satisfactionis primò agendum est.

2 *Quidam volunt suffragia applicata multis, æquè prodesse singulis.*

Quidam *Præpositiuus* citatus à *D. Thomâ in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 4. & ab alijs communiter relatus, docet generaliter suffragia pluribus applicata, non minùs prodesse singulis; & quando vni soli applicantur, non desinere æquè prodesse alijs, iuxta cuiusque capacitatem. Hunc sequitur *Ayguanus* in

in Psal. 27. versu 2. Summa huius sententiæ est, quòd suffragia, & alia opera bona applicata maximè defunctis, non magis prosint illi cui applicantur, quàm alijs, sed vnicuique secundùm maiorem vel minorem charitatem quâ præditus est; quia cùm charitas faciat omnia communia, debet esse mensura bonorum spiritualium, quæ ratione illius recipimus, ideoque in nullo minuitur fructus ex participatione aliorum. quod non solum intelligunt de gaudio spirituali, sed & de satisfactione. Et si ab eis quæras, cur Ecclesia ordinauerit preces, & suffragia specialia: respondent factum esse, vt homines magis excitarentur ad procuranda sacrificia, & suffragia specialia, cùm scilicet fiunt pro speciali necessitate, pro parentibus defunctis, &c.

Caietanus tom. 2. tract. 3. q. 2. docet non solùm sacrificium, sed & orationes Missæ, & alias prodesse illis quibus applicantur secundùm cuiusque deuotionem ad illas; ita vt si Missæ, & orationes alicuius personæ applicentur pluribus qui ad eas habent deuotionem, recipient fructum ex illis, quisque secundùm propriam deuotionem quæ determinat quantitatem fructus recipiendi: eo modo quo suprà dixit fructum sacrificiorum determinari ex deuotione recipientium qui aliquo modo ad illa concurrunt. Contra tamen 3

Fructus satisfactionis suffragiorum applicatus multis minus prodest singulis.

Dico primò, fructus satisfactionis suffragiorum applicatus multis, minus prodest singulis. Ita *D. Thomas suprà. Adrian. quodlib* 8. *a.* 3. *&c.* Probatur primò: Remissio pœnæ non fit nisi per debitã & æquiualentem solutionẽ ex proprijs satisfactionibus, vel alienis sibi applicatis: Si quis igitur applicet alteri satisfactionem respondentẽ suis suffragijs vni soli, illi plus proderit, quam si applicaret duobus; eo modo quo centum aurei dati ab aliquo in solutũ plus valent pro exoneratione vni creditori, quàm duobus: idem est in satisfactione, quæ quia habet rationem cuiusdam solutionis, in quã seruatur proportio arithmetica, plus prodest vni, quàm duobus, & applicata multis, minùs prodest singulis. Secundò, fructus satisfactionis suffragiorum est omnino finitus, & determinatus, per quem satisfit ad rigorem, & æqualitatem iustitiæ diuinæ; ergò respondet finitæ, & determinatæ pœnæ, cui adæquatur, & quam excedere non potest; proindeque cùm maior sit pœna soluenda in pluribus, quàm in vno, maior etiam requiritur fructus satisfactionis. 4

Fructus satisfactionis determinatur

Dico secundò, fructus satisfactionis suffragiorum, sicut & aliorum bonorum operum, determinatur ex deuotione suffragantis, non autem recipientis, nec maior deuotio, & dispositio recipientium aliquid confert. est contra *Caietanum*, & sequitur ex præcedenti. Probatur primò, assignando 5

 differentiam

Ex deuotione suffragantis non recipientis.

differentiam inter fructum sacrificij, & orationum. in sententiâ enim *Caietani*, & aliorum, fructus sacrificij est infinitus syncategorematicè, & indeterminatus, qui ex institutione diuinâ determinatur ex deuotione eorum quibus applicatur; ex quo tamen non sequitur fructum suffragiorum hoc modo determinari, cùm sit omninò finitus, & determinatus iuxta deuotionem, & dispositionem suffragantium, ideoque fructus hic non potest augeri, nec perfectior produci in recipiente meliùs disposito. Et ob eam rationem *Corduba lib.* 1. *q* 3. *opin.* 5. hâc in re recedit à *Caietano*, licet quoad fructũ sacrificij eum secutus fuerit. Secundò, satisfactio vt dictum est, habet rationem solutionis; in solutione autem non attenditur dispositio, vel conditio eius pro quo soluitur, sed solùm quantum soluitur; vnde satisfactio applicata ei qui maximâ præditus est charitate, non magis ei prodest ex eo capite, quàm minùs sancto, cùm eorum status non immutet quantitatem satisfactionis; licet quoad effectum impetrationis plurimum conferat sanctitas non solùm personæ impetrantis, sed etiam eius cui fit impetratio.

Nota alios contrariæ sententiæ fundari super similitudine candelæ quæ accensa pro domino, illuminat & seruos, & quemque iuxta capacitatem visus: sed hæc similitudo adaptari potest gaudio quod quisque recipit de bonis operibus aliorũ, idque iuxta cuiusque maiorem vel minorem charitatem; non autem satisfactioni, quæ magis assimilatur solutioni, vt dictum est. Hinc *D. Thomas suprà quæst.* 1. *ad* 1. *non est necesse vt si debitum pro vno soluitur, quòd ex hoc aliorum debitum soluatur.*

Suffragia prosunt quoad satisfactionem ei solùm cui applicatur, nisi sint communia.

6 Dico tertiò, suffragia alicui applicata quoad effectum satisfactionis, illi soli prosunt quoad illum effectum, ita vt totum fructum recipiat; nisi sint de illis quæ fiunt etiam pro communitate, vt sunt communes Ecclesiæ orationes, quæ fiunt pro omnibus fidelibus viuis, aut defunctis; Pater noster, &c. illæ enim licet pro aliquo particulari fiant, non applicatur illi totus fructus satisfactionis, sed fructus aliquis generalis satisfactionis prouenit omnibus fidelibus, licet non tantus quàm ei pro quo specialiter fit suffragium; & hoc fit ex intentione, & applicatione Ecclesiæ id ordinantis, & fidelium suffragantium. Hinc *Cyprianus lib. de orat. Dominicâ* sic ait: *Non dicimus, Pater meus qui es in cælis; nec panem meum da mihi hodiè; nec dimitti sibi tantùm vnusquisq; delicta expostulat; aut vt in tentationem non inducatur, atq; à malo liberetur pro se solo rogat: publica est nobis, & communis oratio, & quando oramus, non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnùm sumus, Deus pacis, & concordiæ, & magister vnitatis qui docuit, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.* Quibus patet partem fructus omnis

omnis applicabilis, proindeque etiam satisfactionis, ex illis suffragijs communibus applicari omnibus fidelibus; ex alijs autem suffragijs, & bonis operibus nullus fructus satisfactionis illis applicatur per communionem Sanctorum. & ex radice charitatis, quæ fructum hunc satisfactionis non attingit, sed ad hoc requiritur specialis intentio facientis.

DVBIVM SECVNDVM.

An suffragia facta cum maiori deuotione sint ex se magis satisfactoria?

DVbium hoc aliud exigit, vnde scilicet suffragia, sicut & alia bona opera habeant quod sint satisfactoria. De quo omissis varijs sententijs,

Dico primò, suffragia orationum sunt satisfactoria, quatenus includunt aliquid pœnalitatis. Ita *Diuus Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 4. Adrianus q. 4. de satisfactione, &c.* Probatur ex Scripturâ, quæ quoties loquitur de satisfactione, semper proponit opera pœnalia, vt *Ioël. 2. in ieiunio, fletu, &c. Matth. 11. in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* & ratio est, primò, quia satisfactio pro pœnâ debitâ fieri debet per aliquid æquiualens ipsi pœnæ: sed sola pœnalitas in suffragijs, & alijs bonis operibus habere potest rationem cuiusdam æquiualentiæ, & condignitatis cum pœnâ; ergò illa sola habet rationem satisfactionis. Confirmatur: sola pœnalitas operis habet proportionem cum pœnâ peccatis debitâ; bonitas autem ipsius operis habet proportionem, & condignitatem cum gratiâ, & gloriâ, quam meretur; vnde licet opus aliquod sit præstantissimæ virtutis, cui respondeat maximum meritum, si tamen nullam habeat admixtam pœnalitatem, nullum habebit effectum satisfactionis; Hinc *D. Thomas suprà quæstiunc. 3. ad 1.* docet orationem contemplatiuorum, quæ fit cum magnâ delectatione, non esse satisfactoriam, sed eam dumtaxat quæ pro peccatis gemitus fundit. Secundò, satisfactio habet rationem cuiusdam vindictæ, & supplet satispassionem purgatorij; sed vindicta propriè fit per pœnam, & pœnę purgatorij suppleri debent per alias pœnas temporales; ergò satisfactio conuenit actionibus, & suffragijs, quatenus admixtam habent pœnalitatem.

7 *Satisfactionis fructus oritur ex pœnalitate actionis.*

Dico secundò, licet suffragia facta maiori deuotione in se formaliter sint 8

minùs.

Suffragia minùs pœnalia ob devotionem, non sunt minùs satisfactoria.

minùs pœnalia, & maiorem habeant admixtam delectationem: non sunt tamen minùs satisfactoria. Nec hæc conclusio repugnat præcedenti; quia non tam ex pœnalitate quæ formaliter reperitur in actu, quàm ex obiectiuâ attendenda est ratio satisfactionis in operibus; aliàs enim quis maximâ præditus charitate, & in Deum feruore, qui vix aliquid pœnæ, immò potiùs delectationem maximam in actionibus difficillimis persentit, non tantùm illis satisfaceret, quàm alij minori præditi charitate, & feruore; sicque virtus illi suo modo obesset. Vnde si ex duobus orantibus, cæteris paribus, vnus ratione deuotionis, & feruoris minùs pœnæ sentiat, non satisfaciet ideò minùs altero. quòd si tamen aliquis ex facili complexione naturali, & non ratione charitatis minùs pœnæ & difficultatis in orationibus, & alijs bonis operibus patiatur; minùs etiam satisfactionis recipiet; quia tunc diminutio hæc pœnæ non charitati, sed naturæ imputatur: sicut si quis ob deprauatam naturam plus pœnæ sentiat in actionibus, plus satisfactionis recipiet, quàm pœnalitas obiectiua exigat, quia tunc opus est magis heroïcum, & maioris virtutis.

Maior deuotio cæteris paribus auget satisfactionem in suffragijs.

9 Dico tertiò, suffragia facta cum maiori deuotione, & charitate, cæteris paribus, sunt magis satisfactoria. Ratio est, quia *lib. 1. disp. 4. q. 3. d. 2.* dictũ est maiorem sanctitatem operantis augere non solùm fructum meriti, sed & satisfactionis: si igitur maior sanctitas habitualis tribuat specialem valorem operi in ordine ad meritum, & satisfactionem; multò magis eundem valorem tribuere debet maior deuotio actualis, & feruor charitatis quæ suffragijs coniunguntur: illa enim reddunt actum & phisycè, & moraliter præstantiorem, cui proinde maior fructus, non solùm meriti, sed & satisfactionis respondeat. Confirmatur primò: satisfactio respondens actionibus Christi non solùm augebatur ratione dignitatis personæ, sed etiam ob maiorem perfectionem, & intensionem actionum; ergò suffragijs, & alijs bonis operibus respondet etiam maior satisfactio, non solùm ob maiorem sanctitatem, & dignitatem operantis; sed etiam ob maiorem perfectionem, & deuotionem suffragiorum, & actionum, licet non reperiatur maior, sed minor pœnalitas; idque ob maiorem æstimationem moralem operis. Et ratio vlterior est, quia actiones non sunt satisfactoriæ pro pœnâ temporali, nisi afficiantur aliquâ supernaturalitate, vel formaliter, vel ex intentione operantis; ergò suffragia facta cum maiori feruore, & charitate supernaturali, magis eleuabuntur ad effectum satisfactionis.

10 Nota in suffragijs, sicut & alijs bonis operibus, fructum satisfactionis non impedire fructum meriti, gratiæ, & gloriæ, quia duplex hic fructus

ctus respondet eidē actioni ex diuersis principijs, seu conditionibus ipsius actionis; sicut enim idem actus potest esse bonus, & pœnalis: ita & eidem quatenus est bonus respondere potest meritum; & quatenus pœnalis, satisfactio.

DVBIVM TERTIVM.

An suffragia applicata pluribus quoad effectum impetrationis, minùs prosint singulis?

SErmo est de suffragijs extra sacrificium Missæ fusis, quorum ex- 11
plicatio pendet ex dictis *lib. 1. disp. 3. d. 5.* vnde conformiter ad ibidem dicta, dicendū, suffragia habere ex se virtutem finitam & limitatam in ordine ad impetrationem, & applicata pluribus non æquè prodesse singulis; quia cùm virtus, & efficacia eorum attendatur ex sanctitate, & deuotione suffragantis, quæ finita sunt, non possunt nisi virtutem finitam tribuere; maximè cùm loco citato dictum sit inter causam impetratoriam, & effectum debere esse aliqualem proportionem. quoniam tamen effectus impetrationis fundatur etiam super infinitâ bonitate, & misericordiâ Dei, dici potest ex eo capite suffragia applicata multis, posse æquè prodesse singulis, quia infinita misericordia Dei nunquam exhauritur; & ex eodē capite sæpiùs Deus ob orationem aliquam plurima præstat beneficia, non attendendo proportionem orationis cum effectu, sed solam misericordiam, & bonitatem.

Notandum hîc suffragia quò pro pluribus facta fuerint, esse meliora, 12
& Deo gratiora, cæteris paribus; quia cùm illa applicentur alteri ex charitate, quò pluribus applicantur, eò maiori etiam fiunt charitate, proindeque sunt Deo gratiora, & plura beneficia impetrare possunt; quia tamen effectus impetrationis in suffragijs non est infallibilis, ideò cùm pro pluribus fiunt, incertum nobis est quibus, quantum, & ad quid de facto, & efficaciter prosint, sed hoc ad occulta Dei iudicia spectat. quandoque enim decernit Deus misereri totius populi, si vnus, aut alter iustus pro illo fundat orationes. Quandoque neque iustorum orantium vult misereri, propter iniquos admixtos; deinde orationem fusam pro multis, acceptat quandoque pro vno, & non pro alio, etiam iustiore. Regulariter tamen suffragijs

Suffragia facta pro pluribus sūt meliora.

suffragijs, & orationibus, faciliùs impetramus ea quæ magis ad Dei honorem, & gloriam, & nostram salutem conducunt.

DVBIVM QVARTVM.

An sicut suffragijs, & orationibus nostris varia beneficia naturalia, & supernaturalia impetrare possumus à Deo; ita etiam gratuitam remissionem pœnarum peccatis debitarum immediatè impetrare possimus?



SErmo est modò de solis viuis, quia de defunctis, cùm specialis quædam in illis sit ratio, disputabitur *lib.* 3. Agitur autem de impetratione immediatâ, ita vt proprius effectus impetratorius orationum sit gratuita remissio pœnæ; non autem de mediatâ, quâ scilicet quis impetrat auxilium actuale cum quo elicit actum satisfactorium, in quo nulla est difficultas,

13 *Sententia Adriani quòd pœnæ remittantur quandoque per gratuitã remissionẽ*

Adrianus in 4. *de Clauibus responsione ad argumenta ex quartâ viâ. & quodl.* 8. *art.* 3. *litt. H.* docet generaliter Deum quandoque relaxare pœnas merè liberaliter ad preces Sanctorum, & charorum. & *responsione ad* 1. *arg. ex primâ viâ*, dicit aliquem consequi posse remissionem pœnæ per alterum dupliciter; per solutionem alterius; & per eius preces; impetrando scilicet gratuitam remissionem, quia aliàs preces habent rationem solutionis, & continentur in primo membro. *Caietanus & Nauarrus* infrà citandi idem docent de defunctis, & fortè non negarent de viuis. Probari potest hæc sententia, primò, ex verbis Christi quibus promisit nos accepturos quidquid orantes petimus: inter alia autem petere solemus à Deo gratuitam remissionem pœnarum peccatis debitarum; ergò illam impetrare possumus Secundò, hic modus remittendi pœnas peccatorum non est alienus à diuinâ iustitiâ; licet enim omninò gratuitò quantùm est ex parte nostri remittantur, fit tamen sufficiens solutio ex satisfactionibus Christi, quæ hoc modo etiam nobis applicari possunt; si enim applicantur per sacramenta, sacrificium, & indulgentias: cur non etiam quandoque ex merâ liberalitate diuinâ, tanquam effectus impetrationis orationum? præcipuè cùm

cùm applicatio hæc adhuc sufficienter differat ab eâ quæ fit in sacramentis, sacrificio, & indulgentijs, in quibus satisfactiones Christi applicantur certò & infallibiliter ijs qui non ponunt obicem; hic verò solùm merè liberaliter, & quandoque, cùm Deo placuerit exaudire orationes nostras ad hunc effectum. Tertiò, iudex reum liberum reddit dupliciter, vel infligendo pœnam ad debitam vindictam; vel gratis omnia remittendo ob preces amicorum; ergò & Deus remittit pœnas temporales peccatorum, vel per debitam satisfactionem, & solutionem; vel ob preces, & postulationes iustorum idipsum rogantium; nec inde vllo modo læditur iustitia, vt dictum est. Denique ad remissionem pœnæ non requiritur actus aliquis, nec mutatio in homine, cùm vnus possit pro altero satisfacere; ergò satis congruenter potest Deus immediatè remittere pœnas per modum impetrationis, tùm orantibus, tùm alijs viuentibus quibus idipsum impetrare conantur. Sententia hæc est valdè pia, & probabilibus nixa coniecturis, quia tamen paucos sectatores habet, & contraria solidior videtur, ideò

Dico primò, nullus potest suis orationibus impetrare sibi gratuitam remissionem pœnæ peccatis debitæ, tanquam effectum immediatum; sed tantùm mediatum; impetrando scilicet auxilium actuale, quo adiutus opus satisfactorium exerceat. Indicat *Suarez de pœnitentiâ disp. 73. sect. 10.* & licet pauci quæstionem hanc attigerint, communiter tamen, ferè omnes, hoc nostro sensu explicant. Et probatur primò; sententia contraria non habet fundamentum in Scripturâ, traditione Ecclesiæ, aut Patribus, proindeque non est temerè asserenda; nec vrget in contrarium quòd Ecclesia ordinauerit preces, quibus rogamus Deum vt remittat nobis pœnas peccatorũ; nam per illas rogamus primò, vt acceptet satisfactionem nostrorum operum, quam licet infallibiliter acceptet ob promissionem datam, absolutè tamen liberaliter, cùm aliàs non teneatur, ideoque petimus acceptationem quam promisit, vt ostendamus nos agnoscere illud beneficium. Secundò, intendimus ab eo impetrare, quatenus suâ gratiâ nos præueniente, ita satisfaciamus nostris operibus in hoc mundo, vt nil maneat soluendum in Purgatorio; vnde non petimus nisi mediatam remissionem pœnæ, & colligi potest ex hâc oratione: *Vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur eripias*: sicut enim rogamus Deum vt nos exuat à peccatis, non immediatè, sed mediante contritione, quam intendimus rogare: ita rogamus, vt eripiat à pœnis peccatorum, per media etiam ordinaria, præbendo auxilium ad opera satisfactoria exercenda.

14 *Nullus potest suis orationibus impetrare sibi gratuitam remissionem pœnæ.*

Probatur secundò, sicut Deus in omnibus seruat iustitiam distributiuam & commutatiuam, ita & vindicatiuam; ita vt nullum malum maneat vllo modo impunitum, vel in peccante, vel in alio; quod magis constat ex eo quòd voluerit Christum pati, vt pro peccatis hominum satisfieret ad rigorem iustitiæ; ex quo congruentia satis euidens colligitur, Deum nullam pœnam omninò gratuitò, & liberaliter ob solas preces ad id fusas remittere, quia si liberali remissione absque solutione vti voluisset, non fuisset opus Passione Christi. Deinde non est rationi congruum, quòd Deus liberaliter remittat alicui pœnas peccatorum insolutas ob preces illius, quando facili negotio per opera satisfactoria, & sacramenta, & sacrificia, ad plenum soluere potest, & non facit, ideoque nullam habet necessitatem liberalis illius promissionis. Dices non fore omninò liberalem remissionem, quia satisfiet iustitiæ vindicatiuæ per solutionē ex satisfactionibus Christi illi applicatis ob preces ad id fusas; si enim satisfactiones Christi nobis applicantur in solutionem pœnæ per sacramenta, sacrificia, & indulgentias; cur non & per gratuitam impetrationem? Respondeo, sic quidem satisfactum iri iustitiæ; quòd tamen non fiat, probatur ex eo quòd non assignentur communiter nisi tria media, quibus satisfactiones Christi nobis immediatè applicantur, scilicet sacramenta, sacrificium, & indulgentiæ; ideoque non est temerè, & sine fundamento asserendum Christum quandoque nobis applicare suas satisfactiones per modum gratuitæ impetrationis, tanquam fructum orationum nostrarum.

Satisfactiones Christi non applicātur nisi per sacramenta, sacrificiū, & indulgentias

15 Sicut autem dictum est nos non impetrare nobis gratuitā, & immediatam remissionem pœnæ: ita etiam ex consequenti dicendum est nos non mereri immediatam hanc remissionem pœnæ; quia meritum de condigno non attingit nisi gratiam, & gloriam, & ea quæ necessariò illis coniuncta sunt; qualis non est remissio pœnæ temporalis, quæ est alterius ordinis & respondet iustitiæ vindicatiuæ; ideoque per solam solutionem vel ex proprijs, vel ex alienis soluitur, quia solus ille modus eidem iustitiæ respondet.

Sicut non impetramus, ita nec meremur immediatam remissionem pœnæ.

Dico secundò, nullus potest etiam immediatè impetrare alteri viuenti remissionem gratuitam pœnæ per suas orationes. Sequitur ex dictis; si enim non potest sibi, minùs poterit alteri; & rationes adductæ æquè, ac magis militant pro alijs, ac pro ipso orante; deinde Christus ipse suis orationibus non impetrauit nobis gratuitam remissionem pœnæ, sed totam per debitam satisfactionem persoluit; ergò nullus etiam idipsum impetrare poterit alteri.

16 Ad rationes in contrarium ex dictis patet solutio; solùm ad tertiam dicendum:

dicendum est, Deum non agere eo modo quo iudices sæculi; sed in omnibus exigere rationem iustitiæ vindicatiuæ, nec relinquit aliquid impunitum, & insolutum, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO SECVNDA.

An fructus suffragiorum sit certus & infallibilis?

DVBIVM PRIMVM.

An suffragia habeant fructum aliquem infallibilem impetrationis?

DIco primo, suffragia, seu orationes ex se nullũ habent effectum infallibilem impetrationis, non solùm orando pro alijs, sed etiam pro seipso: quia effectus totus hic fundatur super bonitate, & misericordiâ Dei, qui secundùm quod prouidentiæ suæ expedire iudicauerit, quandoque exaudit, quandoque non exaudit orantes. 1 *Suffragia nullũ habent ex se effectũ infallibilem impetrationis.*

Dico secundò, si orationes, & suffragia fiant cum certis conditionibus, infallibiliter consequentur effectum impetrationis, ratione promissionis diuinæ, quâ pluribus locis promisit se exauditurũ orantes, *Marci 11: quidquid orantes petitis credite quia accipietis.* & c. *D. Thomas 2. 2. q. 83. a. 16.* assignat quatuor conditiones: prima vt petatur aliquid necessariũ ad salutem. hinc *August. l. sent. à prospero decerptarũ* sic ait: *fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quàm ægrotus* & sic cõmuniter interpretantur DD. illud *Ioann. 16 si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Aliæ conditiones sunt vt pro se petat, piè, & perseueranter, seu cum fide. Hinc *Basilius sermon. de orando Deum: ideò quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* 2 *Habent tamen positis certis conditionibus infallibilitatem ratione promissionis diuinæ.*

Dico tertiò, licet quibusdam positis conditionibus effectus impetrationis sit infallibilis in orationibus; promissio tamen hæc non inducit 3

 oblig a-

obligationem iustitiæ in Deo, sed tantùm fidelitatis. Pro cuius intelligentiâ, nota Deum varia hominibus promisisse; nam primò promisit iustis bene operantibus, & perseuerantibus vitam æternam; & hæc promissio inducit veram obligationem iustitiæ, non ratione solius promissionis, sed quia independenter ab eâ bona opera iustorum habent sufficientem proportionem ad gloriam; & licet sepositâ promissione non obstāte proportione dictâ, Deus non teneatur bonis operibus dare gloriam; accedente tamen promissione, obligatur habenti bona opera conferre gloriam, per quandam rationem iustitiæ commutatiuę; & habens bona opera eo ipso acquirit ius ad gloriam, & dat quasi condignum pretium gloriæ. & idem dubijs sequentibus de fructu satisfactionis suffragiorum dicemus, cui ex iustitiâ respōdet remissio pœnæ peccatis debitæ, idque ob eandem proportionem, & promissionem. Secundò promisit Deus verè pœnitentibus remissionem peccatorum; & hæc promissio non inducit veram obligationem iustitiæ in Deo, ita vt esset iniustus si non staret promissis; sed ad summum constituit Deum debitorem secundùm quandam rationem veritatis, seu fidelitatis. & ratio est, quia ad debitum iustitiæ non solùm requiritur quòd Deus promittat tale præmium facienti tale opus, sed etiam quòd opus illud sit sufficienter proportionatum præmio promisso, vt in promissione gloriæ dictum est; quod hîc non reperitur, cùm pœnitens supponatur non esse in gratiâ, à quâ opera valorem sortiuntur. Sic etiam dicendū est de promissione quâ Deus promisit se exauditurum orationes positis quibusdam conditionibus, & circumstantiis; non enim ratione illius obligatur ex iustitiâ ad effectum impetrationis conferendū, cùm non sit sufficiens proportio, & condignitas orationis, cum effectu impetrationis (oratio enim quatenus est actus bonus, & meritorius, habet suum effectū peculiarem;) sed tota obligatio oritur ex solâ liberali misericordiâ Dei, & magnâ in salutem nostram propensione, quâ promisit, & quodammodo se obligauit ad conferendū fructum impetrationis orationibus factis cum quibusdam conditionibus; sic tamen vt collatio effectus non excedat rationem fidelitatis. Hinc pluribus Scripturæ locis Deus exaudiendo orantes dicitur pater, bonus, misericors &c. Nec hoc repugnat dictis *l. 1. disp. 3. d. 5.* requiri scilicet proportionē aliquam inter orationem, & rem impetrandam; non enim agitur ibi de verâ, & rigorosâ proportione quali requiritur in vero debito iustitiæ, sed tantùm de remotâ, quâ solùm significatur orationē non æquè facilè impetrare plura beneficia, quàm vnum, quia maior est proportio, seu conuenientia, & æqualitas inter orationem, & vnum beneficium, quam plura.

DVBIVM

DVBIVM SECVNDVM.

An suffragia habeant fructum aliquem infallibilem remissionis pœnæ temporalis?

§. I.

Qualis sit proportio inter satisfactiones suffragiorum, & pœnas temporales, quæ virtute illarum remittuntur?



Væstio hæc curiosa est & vtilis, sed difficilis; nec solùm habet locum in satisfactione suffragiorum, sed etiam in alijs bonis operibus; occasione tamen satisfactionis suffragiorum, eam paucis explicabimus.

Vasquez 3. *part. quæst.* 94. *art.* 1. *d.* 3. docet satisfactiones nostras habere sufficientem proportionem, & condignitatem ab intrinseco, præsup- 4 *Doctorum placita.*
posito solùm auxilio gratiæ in opere, & statu gratiæ in operante. *D. Thomas* 3. *p. q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. vult omnem nostram satisfactionem habere efficaciam à satisfactione Christi, & ab eâ dependere sicut imperfectum à perfecto à quo sustentatur; vnde vltra auxilium gratiæ requirit coniunctionem, & dependentiam aliquam nostrarum satisfactionum, à satisfactionibus Christi. Hunc sequitur *Caietanus ibidem*, dicens Christum dupliciter causare nostram satisfactionem: primò, quatenus causat in nobis gratiam, & charitatem, quâ satisfactio nostra acceptatur. Secundò, quatenus perfectè satisfecit pro peccatis totius mundi; & hoc modo satisfactiones nostræ, innituntur satisfactionibus Christi. His accedit *Sotus in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *a.* 2. *concl.* 3. *Suarez* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 12. *Nazarius* 3. *p. q.* 1. *a.* 2. *contro* 7. *&c.*

Nota *Concil. Tridentinum sess.* 14 *cap.* 8. hâc de re sic loqui: *dum satisfa-* 5
ciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur. neque verò ita nostra est satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christum Iesum. & post pauca *Omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus,*

facimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illũ acceptantur à Patre. Ex quibus colligitur, satisfactiones nostras varijs modis pendere à Christo, & fundari in eius meritis, & satisfactionibus; primò, quia principium satisfactionis est gratia habitualis, quæ datur propter Christũ. Secundò conferuntur nobis varia auxilia actualia quibus ad satisfaciendũ, tùm per suffragia, tùm per alia opera bona excitamur, idque ex meritis eiusdẽ Christi. Tertiò, mutatio pœnę æternę debitæ peccatis mortalibus in temporalem, fit etiam ex satisfactionibus Christi, ex quibus satisfactum est ad rigorẽ iustitiæ pro peccatis nostris. Tota autẽ difficultas est, an pœna tẽporalis restans ex mortalibus remissis, & respondens venialibus, ita remittatur per suffragia, & alia opera satisfactoria, vt non sufficiat auxiliũ actuale ex meritis Christi; sed vltrà requiratur vt satisfactiones nostræ habeant coniunctionẽ aliquam, & dependẽtiam à satisfactionibus Christi, quæ suppleant quod deest nostris satisfactionibus; & quomodo id fiat. cui præmittenda est alia difficultas, an proportio nostrarum satisfactionum sit dependens, & oriatur à promissione, & acceptatione diuinâ. Vnde

Satisfactiones nostræ varijs modis fundantur, & pendent à Christo.

6 Dico primò, proportio, & condignitas satisfactionis suffragiorum, sicut & aliorum bonorum operum cum pœnâ temporali peccatis debitâ, quę virtute illius remittitur, non oritur ex promissione, & acceptatione diuinâ; sed naturâ suâ est talis modo infrà explicando, & sufficientem habet condignitatem, & proportionem independenter à promissione, & acceptatione. est communis. Probatur primò, benigna Dei acceptatio potest quidem facere quòd Deus sit contentus tali satisfactione, licet ex se non sit condigna, nec reperiatur sufficiens proportio, & condignitas: sed non potest tribuere maiorẽ valorem satisfactioni, quàm naturâ suâ habeat. Ergò si de facto est condigna, vt esse dicemus statim, id non habet ratione promissionis, & acceptationis diuinæ. Secundò, opera meritoria gratiæ & gloriæ habent ad illam naturâ suâ sufficientem proportionem independenter à promissione, & acceptatione diuinâ; ergò & suffragia, & alia opera satisfactoria habent ex se sufficientẽ proportionem cum pœnâ temporali. Confirmatur, sicut merita nostra innituntur meritis Christi: ita & satisfactiones nostræ satisfactionibus Christi: Ergò si eâ ratione opera meritoria sint ex se citra acceptationem sufficienter proportionata gratiæ, & gloriæ, erunt etiam quatenus satisfactoria proportionata pœnæ temporali.

Proportio nostrarum satisfactionũ oritur à natura earum, non ex promissione, & acceptatione

Hinc collige cùm ob satisfactionẽ suffragiorum, & aliorum bonorum operum remittitur nobis pœna temporalis, dici potiùs debere solutionem, quàm remissionem; quia ponitur æquiualens pœnæ debitæ, quod dicit solutionem

solutionem; remissio verò dicit condonationem pœnæ non solutæ, saltem à nobis, sed liberaliter condonatæ.

Dico secundò, prædicta proportio satisfactionis suffragiorum, & aliorum bonorum operum cum pœnâ temporali peccatis debitâ, non oritur ex eo solùm quòd fiant ab homine iusto cum auxilio gratiæ, absque vllâ concurrentiâ satisfactionum Christi. Est contra *Vasquez*, & eam docet *D. Thomas suprà*, *Caietan. Sotus, Suarez, Nazarius, &c.* Probatur primò, aliàs sequeretur infinitas satisfactiones Christi ad hoc solùm deseruire, vt pœna æterna peccatis nostris debita, mutetur in temporalem, & vt temporalis remittatur per sacramenta, sacrificium, & indulgentias; ita vt nullo modo concurrant ad debitam satisfactionem nostrarum actionum; quia si actiones nostræ sint sufficienter proportionatæ, & satisfactoriæ pro pœnâ temporali, ex eo solùm quòd fiant ab homine iusto cum auxilio gratiæ, absque vllâ concurrentiâ, & coniunctione satisfactionum Christi cum nostris satisfactionibus; independenter à satisfactionibus Christi satisfacimus pro pœnâ temporali peccatorum; & quod magis est, sic Christus non satisfecisset pro pœnâ temporali venialiũ, quę per suffragia, & alia pia opera remittitur; licet enim remissio hæc fiat cum auxilio gratiæ, non tamen dependenter ab eius satisfactionibus. Quod certè plurimùm derogat infinitis satisfactionibus Christi, quæ multò maiorem effectum habebunt, si omnibus nostris satisfactionibus coniungantur, tribuendo illis maiorem virtutem, modo statim explicando, præsertim cùm sit quid facilè factibile nec vllam repugnantiam, sed maximam congruentiam adferat. 7

Proportio satisfactionum nostrarum cum pœnâ temporali, non oritur ex solo auxilio gratiæ, sine coniunctione ad Christi satisfactiones.

Secundò, non est ratio cur magis merita Christi concurrant ad omnia opera nostra meritoria, quam illius satisfactiones ad omnia opera nostra satisfactoria; auxilium enim gratiæ, quod alij requirunt, non pertinet ad Christi satisfactionem, sed meritum.

Tertiò, Christum plusquam abundè quoad sufficientiam satisfecisse pro omnibus nostris peccatis, non est solùm per eius satisfactiones, pœnam æternam mutatam esse in temporalem; sed etiam satisfactiones eius quoad efficaciam attingere omnes nostras satisfactiones, etiam pro pœnâ temporali; aliàs enim non satisfecisset sufficienter pro pœnâ temporali respondente nostris actionibus, quia satisfactiones eius ad remissionem illius non ordinaretur. Vnde nõ placet quod ait *Vasquez suprà n. 2.* sufficere quòd fauore Christi nobis detur vnde satisfaciamus; hoc enim non soluit rationes datas, sed solùm dicit ex Christi meritis nobis conferri auxilium gratiæ eleuans nostras actiones ad effectum satisfactionis, nec dicit ordinem ad satisfactiones Christi; & certè videtur omninò aliud sonare Tridentinum 8

Reijcitur Vasquez.

dentinum citatum, cùm dicit, omnem sufficientiam nostram in satisfaciendo pro peccatis, esse ex Christo, qui pro illis satisfecit. Et satisfactionẽ quam pro peccatis exsoluimus esse per Christum. Et nos in Christo mereri, & satisfacere: quæ omnia satis ostendunt non solùm merita Christi, sed & illius satisfactiones verè suo modo concurrere, & coniungi omnibus nostris satisfactionibus. Quomodò autem id fiat, difficulter explicatur. *D. Thomas* enim suprà dicit solùm omnem nostram satisfactionem habere efficaciam à satisfactione Christi, & ab eâ sustentari, sicut imperfectum à perfecto; sed non assignat modum quomodò id fiat. Sciendum est dupliciter explicari posse concurrentiam satisfactionum Christi cum nostris satisfactionibus pro pœnâ temporali; quod duabus sequentibus conclusionibus explicabitur. Vnde

9 *Quomodo satisfactiones nostræ augeantur ex satisfactionibus Christi.* Dico tertiò, satisfactiones Christi concurrunt & augent valorem nostrarum satisfactionum pro pœnâ temporali, tam in suffragijs, quàm alijs bonis operibus, ideo quia ex Christo capite, & omnibus fidelibus tanquam membris fit vnum corpus mysticum Ecclesiæ, & quasi vna persona moralis. Sicut autem in corpore caput influit in membra: ita Christus tanquam caput in omnes fideles influit, non solùm per gratiam, & charitatem, sed etiam per suas satisfactiones, quæ coniunctæ nostris, eis specialem valorem conferunt; si enim maior gratia habitualis, seu maior sanctitas vnita personæ operanti, tribuit eius actionibus specialem aliquem valorem, vt suprà dictum est; cur satisfactiones Christi infinitæ coniunctæ nostris satisfactionibus non tribuerent etiam maiorem valorem moralem, præcipuè cùm satisfactiones Christi, & nostræ sint vnius quasi personæ moralis; non quasi velimus satisfactiones nostras habere suum valorem ex seipsis, & satisfactionibus Christi simul sumptis; sed ratione cuiusdam influentiæ, quâ sicut caput influit in membra: ita Christus in fideles, & Christi merita, & satisfactiones, in merita, & satisfactiones fidelium. Et hoc est fortè quod intendit *Sotus suprà*, cùm docet satisfactionibus nostris prouenire quendam iustitiæ gradum ex meritis, & satisfactionibus Christi; non quòd gradus aliquis satisfactionum nostrarum respondeat satisfactionibus Christi, & alij nostris actionibus; sed omnes gradus satisfactionum nostrarum respondent nostris actionibus, quæ causant satisfactiones maioris valoris, eo ipso quo in illas influunt satisfactiones Christi, modo iam dicto.

10 *Alius modus explicandi.* Dico quartò, concurrentia, & influentia satisfactionum Christi in nostras satisfactiones, comparari etiam potest concurrentiæ causæ primæ cum secundâ & hanc similitudinem indicare videtur *Suarez 3. part. q. 1. disp. 4.*

disp. 4. sect. 12. cùm dicit Christum satisfecisse pro peccatis nostris per modum causæ primæ, & independenter ab alio satisfaciente, à quo tamen dependent fideles in satisfaciendo. Probatur igitur hæc similitudo: sicut enim causa prima non solùm tribuit virtutem ad agēdum causæ secundæ, sed etiam concurrit cum illâ ad effectum: ita etiam Christus non solùm tribuit fidelibus virtutem ad operandas actiones satisfactorias, cùm varia gratiæ auxilia ad eum effectum confert; sed per suas etiam satisfactiones tanquam generalis satisfactor ad omnes nostras satisfactiones concurrit: & sicut effectus causæ secundæ licet sit totus à causâ primâ, non est tamen totaliter, sed in alio ordine superiori ab illâ dependet: ita ad omnes gradus satisfactionum nostrarum concurrunt satisfactiones Christi, sed tanquam causa vniuersalis, & alterius ordinis. Deinde licet causa secunda habeat in se principium supernaturale, non potest tamen producere effectum supernaturalem, sine concursu causæ primæ: ita licet actiones nostræ fiant cum auxilio supernaturali gratiæ, non possunt tamen perfectam satisfactionem producere, nisi simul influant, & concurrant satisfactiones Christi per modum causæ primæ, à qua pendet effectus satisfactionum nostrarum. Hoc sensu igitur dicimus satisfactiones nostras cum auxilio gratiæ factas esse quidem sufficienter in se proportionatas, in suo tamen ordine; quod non impedit quo minùs satisfactiones Christi ad eas etiam concurrant in ordine superiori; & hic modus explicandi satis ostendit quomodo pro nobis infinitè satisfecerit, & quomodo eius satisfactiones concurrant ad omnes nostras satisfactiones pro pœna temporali: & hoc forsan vult docere *Diuus Thomas suprà*, cùm ait nostras satisfactiones efficaciam habere à satisfactione Christi, & ab illis dependere sicut imperfectum dependet à perfecto; nec puto *Sotum item suprà ad* 1. aliud velle, cùm docet satisfactionem Christi vel per sua sacramenta, vel per nostra opera ex suo auxilio promanantia ad eorum modum applicari. Vnde seruatâ eâdem similitudine vlteriùs dici potest, quòd sicut causæ vniuersales non solùm concurrunt ad effectus cùm causis secundis; sed etiam quandoque concurrunt solæ, supplendo vices, & effectum causæ secundæ: ita satisfactiones Christi concurrunt cum nostris ad remissionem pœnæ tanquam vniuersalis, & in ordine superiori; & vltra quandoque solæ concurrunt sine nostris satisfactionibus, supplentes vices illarum. & hoc fit cùm per sacramenta, sacrificium, & indulgentias remittuntur nobis pœnæ temporales intuitu satisfactionum Christi.

§ I I.

An fructus satisfactionis suffragiorum prosit certò & infallibiliter ipsis suffragantibus, & quomodò?



Ertum est satisfactiones nostras habere sufficientem proportionem modo explicato, cum pœnâ temporali peccatis debitâ; difficultas autem est, an vt certò & infallibiliter prosint suffragantibus, requiratur vlteriùs promissio diuina de acceptandâ illâ satisfactione pro pœnâ temporali.

Vasquez 3. p. q. 94. a. 1. d. 3. docet superfluam esse promissionẽ in materiâ satisfactionis, vt certò per illam pœna remittatur, quia cùm satisfactio sit condigna pœnæ debitæ, satisfaciens eo ipso redditur dignus, vt non puniatur illâ pœnâ, proindeque nec debet, nec potest puniri. Contra tamen

11. Dico, satisfactiones respondentes suffragijs, & alijs bonis operibus non prodesse certò, & infallibiliter suffragantibus quoad remissionem pœnæ, nisi accedente promissione diuinâ acceptandi satisfactiones illas in compensationem pœnæ debitæ. Est communis, & indicat *Tridentinum sess. 14. cap. 8.* cùm docet nostras satisfactiones à Christo offerri Patri, & per illum ab eo acceptari, quod non debet solùm intelligi de eo quòd satisfactiones nostræ pẽdeant à gratiâ, & satisfactionibus Christi; hoc enim Concilium ibidem indicat, dicens nos in Christo satisfacere, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; sed vltrà ostendit satisfactiones nostras verè à Deo acceptari. Acceptatio autem hæc fundari debet in aliquâ promissione diuinâ, quâ se obligauit intuitu meritorum, & satisfactionum Christi, satisfactiones nostras acceptare pro exsolutione pœnæ temporalis soluendæ in Purgatorio. Deinde *cap. 9.* dicit esse maximum amoris diuini argumentum quòd actionibus nostris satisfacere valeamus. & ratio est, quia pœna temporalis peccatis remissis debita, est maximè pœna Purgatorij, in quam mutata est pœna æterna peccatorum mortalium; satisfactiones autem huius vitæ sunt alterius rationis quàm pœna temporalis Purgatorij, ideoque non est ratio cur satisfactiones nostræ tollant ex se debitum pœnæ Purgatorij, independenter à promissione diuinâ. Confirmatur, si à iudice decreta esset certa pœna alicui delicto, non teneretur iudex aliam acceptare loco illius, licet sit æquè condigna, & proportionata delicto,

Satisfactiones prosunt certo suffragantibus ratione promissionis.

delicto, sed potest eam quæ de facto iniuncta est exigere: ita cùm offertur Deo satisfactio huius vitæ, non extinguitur debitum pœnæ, soluendæ scilicet in Purgatorio, nisi accedat promissio acceptandi eam satisfactionem in solutionem.

Ad rationem in contrarium, Respondeo, satisfactiones nostras esse quidem citra promissionem condignas, & proportionatas pœnæ debitæ; non sequitur tamen exinde quòd satisfaciens sit dignus vt non puniatur; & licet verum esset, dignitas tamen illa est tantum remota, quæ nullam inducit obligationē ad hoc vt non debeat, nec possit puniri, cùm citra promissionem, & acceptationem satisfactiones nostræ non sufficienter ordinentur ad remissionem pœnæ debitæ, quæ primariò soluenda est in Purgatorio.

12 Aduerte hîc Deum primariò quidem decreuisse punire pœnas temporales peccatorum in Purgatorio secundùm omnem rigorem iustitiæ; vlteriùs tamen decreuit etiam, & promisit misericorditer, se acceptaturum satisfactiones huius vitæ in satisfactionem, & exsolutionem pœnæ illis debitæ; ita vt licet pœna Purgatorij primariò imposita sit peccatis nostris, decreuit tamē Deus illa punire, vel in Purgatorio, vel in hac vita pœnâ æquiualenti; & hoc decreto & promissione positâ, licet pœnæ huius vitæ minùs principaliter ordinētur ad solutionem pœnæ debitæ, æquè tamen pro illis satisfaciunt, & ex iustitia, quia quandò quis soluit pœnam taxatam à iudice, & eo modo quo iudex statuit soluendam, non solùm satisfacit iustitiæ vindicatiuæ, sed etiam tenetur iudex condignam illam solutionem acceptare, nec potest ab eo alijs modis exigere pœnas. Quod autem decreuerit Deus punire pœnas temporales peccatorum non solùm in Purgatorio per satispassionem, sed etiam in hac vita per satisfactiones, patet ex pluribus Scripturæ locis, quibus homines ad pœnitentiam prouocantur, vt *Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ*, &c. Hinc etiam patet quàm sit vtile in hac vita per suffragia, & alia opera bona pro peccatis satisfacere, cùm satisfactiones illæ certò acceptentur à Deo, & multò plus valoris habeant, quàm satispassiones Purgatorij quatenus sunt actiones viæ, quibus liberè & spontaneè satisfacimus.

Deus decreuit punire pœnas peccatorū primariò in purgatorio, & vltra promisit se acceptaturum satisfactiones huius vitæ.

§ III.

An fructus satisfactionis suffragiorum prosit certò & infallibiliter viuentibus quibus applicatur?



13 *Quidam voluit satisfactiones suffragiorũ nõ prodesse alijs infallibiliter.* PRima sententia est, satisfactiones suffragiorum non applicari alijs viuentibus certò, & infallibiliter, sed secundùm beneplacitum Dei, qui quando congruum iudicauerit, acceptat satisfactiones aliorum in solutionẽ. ita *Medina tract. 3. de satisfactione q. 2. & 3. & tractat. 6. de orat. q. 19. Corduba l. 5. de indulgentijs q. 5. ad* 8. inclinat etiam *Coninck de pœnit. disp. 10. d. 7.* Et ratio est, quia ad hoc vt satisfactio prosit certò, & infallibiliter alteri, requiritur diuina promissio, quam non constat reperiri in satisfactionibus pro altero.

14 *Alij docent prodesse.* Secunda sententia est contraria, satisfactiones suffragiorũ, & aliorum bonorum operum prodesse alijs viuentibus certò, & infallibiliter, & ex iustitiâ, æquè ac ipsismet satisfacientibus, & eam docent quidam expressè, *Adrianus quodlib. 8. a. 2. & in 4. de indulg. folio mihi* 137. *Sotus de naturâ & gratiâ lib. 3. cap. 6. concl. 4. & in 4. dist. 19. q. 2. a. 4. in fine. Couarr. cap. alma mater 1. p. §. 4. n. 7. Valent. 3. p. disp. 7. q. 14. p. 3. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 48. sect. 3.* Alij licet eam sententiam expressè non doceant, ex eorum tamen verbis satis colligi potest, vt *D. Th. in 4. d. 20. q. 1. a. 2. q. 3. ad. 1.* vbi docet neminem posse alteri mereri, posse tamen satisfacere pro altero; sed cùm dicit nullum posse alteri mereri, intelligit de condigno, nam de congruo id posse, docet 1. 2. *q.* 114. *a.* 6. ergò & cùm dicit aliquem posse pro altero satisfacere, intelligit de condigno; & sic interpretatur *D. Thomam Syluius in supplemento q. 13. a. 2.* pluribus etiã alijs locis docet idem *D. Thomas* aliquem posse pro alio satisfacere absolutè, quod certitudinem quandam, & infallibilitatẽ indicat; & cum eo *Bonauent. in 4. d. 20. a. 1. q. 1. Bellar lib. 1. de indulg. cap. 2. concl. 2. &c.* Eam autem probant quidam, assignando distinctionem inter meritum, & satisfactionem, quâ vtitur *D. Thomas* citatus: licet enim nullus possit de condigno mereri alteri gratiam, quia meritum gratiæ dicit dispositionem proportionatam in recipiente; potest tamen pro altero satisfacere, etiam de condigno, quia satisfactio nullam exigit dispositionem in eo pro quo satisfit, sed dicit meram solutionem pœnæ, quæ æquè fieri potest per alienam satisfactionem, ac per propriam, modò ambo sint in gratiâ; nec est cur Deus minùs acceptet satisfactionem ab alio factam

Ratio quorundam reijcitur.

etiam pro se, quàm si ipse fecisset. Sed hæc ratio non conuincit, nec ex naturâ ipsius satisfactionis sufficienter colligi potest, sed tota ratio pendet ex promissione, & acceptatione diuinâ; si enim citra illam promissionem satisfactiones non remittunt certò, & infallibiliter ipsi satisfacienti debitum pœnæ temporalis; multò minùs remittent alijs quibus applicantur, præcipuè cùm deceat satisfactiones esse magis efficaces in satisfaciente, quàm in alijs quibus applicatur. Tota igitur difficultas pendet ex hoc, an Deus promiserit acceptare satisfactiones vnius pro alio. Pro resolutione

Si nulla esset promissio, positâ acceptatione satisfactio esset de condigno.

Dico primò, licet nulla esset promissio diuina acceptandi satisfactiones 15
suffragiorum & aliorum bonorum operum vnius pro alio, quandò tamen Deus acceptaret, fieret tunc solutio de condigno, & ex iustitiâ. Patet, quia licet acceptatio fiat gratuitò, & sine obligatione, non remittitur tamen pœna gratuitò, sed soluitur pretium æquale pœnæ debitæ; est enim satisfactio æquè proportionata pœnæ alienæ, quàm propriæ.

Satisfactiones fidelium applicantur alijs infallibiliter, & ex iustitiâ.

Dico secundò, probabilius est satisfactiones suffragiorum, & aliorum
bonorum operum applicari certò, infallibiliter, & ex iustitiâ alijs viuen- 16
tibus, idque ratione promissionis diuinæ acceptandi eas in solutionem pœnæ, non solùm satisfacientium, sed etiam eorum quibus applicauerint. & hanc puto communem, quam vltra citatos plurimi alij docent, & à quibusdam vocatur conformis doctrinæ conciliorum, ac Sanctorum Patrum & intentioni Ecclesiæ. Putandum igitur quòd sicut licet Deus pœnas temporales peccatorum decreuerit punire principaliter in Purgatorio; solutionem tamen illarum non restrinxit ad solum Purgatorium, sed liberam potestatem fecit satisfaciendi in hâc vitâ, vel in Purgatorio: ita etiam non restrinxit satisfactiones huius vitæ ad solas personas debitrices, sed libertatem, & potestatem dedit satisfaciendi pro pœnis peccatorum, vel per se, vel per alium, & satisfactiones vtrouis modo factas, se acceptaturum promisit. Quòd autem Deus talem legem statuerit, non potest quidem euidenter ostendi ex Scripturâ, cùm nullibi reperiatur; ex multis tamen coniecturis probabilibus ostendi potest, Deum rationabiliter id debuisse facere. & primò ex eo quòd simus vnius corporis membra, cuius caput est Christus: sicut igitur caput Christus influit in omnia membra, & pro omnibus satisfecit ex iustitiâ: ita æquum est vt cum adiutorio capitis vnum membrum adiuuet aliud, non solùm varijs officijs, sed etiam satisfactiones suas illi applicando. & hoc sensu Ecclesia semper intellexit ex parte communionem Sanctorum, quæ est inter fideles; vt indicat *Catechismus Pij V. de sacramento Pœnitentiæ in fine*, cùm loquens hac de re sic ait: *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est qui in Apostolorum*

lorum symbolo Sanctorum Communionem profitemur. si enim Deus infallibiliter, & ex iustitiâ acceptat satisfactiones capitis pro membris, cur non acceptaret etiam satisfactiones vnius membri pro alio; præsertim cùm sufficienter adhuc distingui possint satisfactiones Christi à nostris quoad infallibilitatem, in hoc quòd satisfactiones Christi ob personæ dignitatem non poterant non acceptari à Deo, proindeque non fuit opus promissione sicut requiritur ad hoc vt satisfactiones nostræ, & nobis & alijs prosint. Secundò, satisfactio habet rationem solutionis quâ soluimus pœnam debitam; æqualiter autem fit solutio per propriam, ac alienam satisfactionem sibi applicatam; sicut æquè bene soluitur debitum pecuniariū cùm alius loco, & nomine debitoris soluit, ac cùm debitor propriâ pecuniâ, non obstante lege quæ solutionem non exigit, nisi à debitoribus; ergò rationabile fuit Deum statuisse & promisisse æquè acceptare satisfactiones applicatas alijs, quàm ipsimet facienti. Nec obstat, si dicas satisfactionem commissi peccati magis esse personalem, quàm solutionem debitæ pecuniæ; & potiùs comparandam esse pœnæ quam debet quis luere ex sententiâ iudi-
17 cis ob facinus; in quo non tenetur iudex alienam pœnam acceptare. Non obstat inquam; est enim ratio diuersitatis, quia in iudicio ciuili reus semper soluit pœnam in propriâ personâ, & eâ solâ satisfacit iustitiæ; peccator verò debet iam placasse Deum per aliquam pœnitentiam remissiuam peccati, & aliqualis pœnæ illius, sicque supponitur vtcumque satisfecisse iustitiæ; proindeque quod reliquum est pœnæ per alium solui poterit. Deinde constat Deum non exigere pœnam personalem, cùm certum sit apud omnes sæpiùs acceptare satisfactionem vnius pro alio. Tertiò, Deus ordinauit vnum posse pro alio satisfacere, vt satis constat; ergò rationabiliter debuit promisisse se acceptaturum satisfactionem vnius pro alio, tanquam propriam; aliàs non posset asseri ita absolutè, & sine restrictione quod possit vnus satisfacere pro alio, sed solùm dici posset satisfactionem vnius prodesse quandoque alteri, quando scilicet Deus pro suâ voluntate eam acceptat in solutionem. Dices totum id saluari dicendo Deum concessisse, seu permisisse, vt vnus satisfaciat pro alio, absque eo quòd promiserit se id acceptaturum, sed acceptatione suæ voluntati reseruando.
18 Respondeo, ex concessione, seu permissione diuinâ satisfaciendi pro alio, colligitur etiam accessisse promissionem de eâ satisfactione acceptandâ; quia in alijs quando Deus concessit facultatē faciendi aliquod opus, coniunxit etiam promissionem effectus illi proportionati: sic dedit nobis facultatem merēdi aliquid nostris actionibus; & merito promisit præmium: dedit nobis potestatem satisfaciendi pro pœnis peccatorum nostrorum in hac

Deus non solū cōcessit satisfactionē vnius pro alio, sed etiā

hâc vitâ; & illi coniunxit promissionẽ acceptandi nostras satisfactiones pro nobis, &c. ita dicendum est Deum non solùm dedisse potestatem vt vnus satisfaciat pro alio; sed vlterius putandum est eum promisisse se acceptaturum satisfactiones vnius pro alio. Deinde certum est (in nostrâ saltem sententiâ) Deum promisisse se acceptaturum nostras satisfactiones in solutionem pœnæ propriæ; certum etiam est eum sæpiùs acceptare satisfactiones vnius pro alio; & eas æquè esse condignas ac pro se ipso; nec aliquid repugnat Deum legem statuisse acceptandi æquè satisfactiones vnius pro alio, quàm pro ipso satisfaciente; ergò rationabiliter dici potest legem statuisse, & promisisse se acceptaturum pro peccatis non solùm satispassionem in Purgatorio, sed etiam satisfactionem in hâc vitâ; eamque vel propriam, vel alterius. Confirmatur primò, aliàs non est cur non possit æquè dici satisfactionem pro se ipso non esse infallibilẽ, nec fundari super promissione aliquâ, sicut de satisfactione pro alijs asserunt, cùm neutrum euidẽter probari possit. Cõfirmatur secundò, vnio charitatis inter fideles tãta est, vt citra expressam intentionẽ ex bonis operibus vnius omnes participent ex sola radice charitatis, itaut sicut per charitatẽ fiunt vnum corpus mysticũ: ita bonum vnius fit bonum alterius, vt suprà dictum est, idq; certò, & infallibiliter; deinde D D. communiter docent fructũ generalem prouenientem fidelibus, de quo *l.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. applicari certò, & infallibiliter in subiecto capaci. Ergò à potiori satisfactio vnius proderit certò, & infallibiliter alteri ob eandem vnionem charitatis, & ratione expressæ intentionis quâ vnus intendit satisfactiones suas alteri applicare; quod magis ex dicendis *lib.* 3. de defunctis patebit. Licet igitur sententia hæc non possit ita scientificè probari, cùm tota pendeat ex diuinâ voluntate, de quâ non apertè constat; quia tamen varijs coniecturis nititur, quæ sententiam probabilem efficiunt, ideò eam puto sequendam, non solùm ob plurimos D D. idem sentientes; sed etiam quia plurimùm fidelibus fauet, & Dei erga nos benignitatem commendat, nec ratio alicuius momenti quæ eam inualidet afferri potest.

promisit se eam acceptaturum.

Ex dictis collige, ad hoc vt suffragia quoad effectum satisfactionis prosint efficaciter alijs, non requiri vt ij quibus applicantur non possint pro se satisfacere; vt docent *Bonau. in compend. Theologicæ veritatis l. 7. c. 5. & R. char. in 4. d. 20. q. 3.* sed sufficit quod ex intentione suffragantis illis applicentur supposità dictâ promissione diuinâ; ita vt licet possint pro se satisfacere, & non faciant, modò alius pro ipsis satisfaciat, liberantur à debito pœnæ, vt rectè docet *D. Thomas in 4 d. 20 q. 1. a. 2. quæstiunc.* 3. 19

Vt suffragia prosint alijs nõ requiritur vt non possint pro se satisfacere.

Pro complemento huius disp. quæritur an satisfactiones suffragiorum 20

æqualem

lorum symbolo Sanctorum Communionem profitemur. si enim Deus infallibiliter, & ex iustitiâ acceptat satisfactiones capitis pro membris, cur non acceptaret etiam satisfactiones vnius membri pro alio; præsertim cùm sufficienter adhuc distingui possint satisfactiones Christi à nostris quoad infallibilitatem, in hoc quòd satisfactiones Christi ob personæ dignitatem non poterant non acceptari à Deo, proindeque non fuit opus promissione sicut requiritur ad hoc vt satisfactiones nostræ, & nobis & alijs prosint. Secundò, satisfactio habet rationem solutionis quâ soluimus pœnam debitam; æqualiter autem fit solutio per propriam, ac alienam satisfactionem sibi applicatam; sicut æquè bene soluitur debitum pecuniariū cùm alius loco, & nomine debitoris soluit, ac cùm debitor propriâ pecuniâ, non obstante lege quæ solutionem non exigit, nisi à debitoribus; ergò rationabile fuit Deum statuisse & promisisse æquè acceptare satisfactiones applicatas alijs, quàm ipsimet facienti. Nec obstat, si dicas satisfactionem commissi peccati magis esse personalem, quàm solutionem debitæ pecuniæ; & potiùs comparandam esse pœnæ quam debet quis luere ex sententiâ iudi-
17 cis ob facinus, in quo non tenetur iudex alienam pœnam acceptare. Non obstat inquam; est enim ratio diuersitatis, quia in iudicio ciuili reus semper soluit pœnam in propriâ personâ, & eâ solâ satisfacit iustitiæ; peccator verò debet iam placasse Deum per aliquam pœnitentiam remissiuam peccati, & aliqualis pœnæ illius, sicque supponitur vtcumque satisfecisse iustitiæ; proindeque quod reliquum est pœnæ per alium solui poterit. Deinde constat Deum non exigere pœnam personalem, cùm certum sit apud omnes sæpiùs acceptare satisfactionem vnius pro alio. Tertiò, Deus ordinauit vnum posse pro alio satisfacere, vt satis constat; ergò rationabiliter debuit promisisse se acceptaturum satisfactionem vnius pro alio, tanquam propriam; aliàs non posset asseri ita absolutè, & sine restrictione quod possit vnus satisfacere pro alio, sed solùm dici posset satisfactionem vnius prodesse quandoque alteri, quando scilicet Deus pro suâ voluntate eam acceptat in solutionem. Dices totum id saluari dicendo Deum concessisse, seu permisisse, vt vnus satisfaciat pro alio, absque eo quòd promiserit se id acceptaturum, sed acceptationē suæ voluntati reseruando.
18 Respondeo, ex concessione, seu permissione diuinâ satisfaciendi pro alio, colligitur etiam accessisse promissionem de eâ satisfactione acceptandâ; quia in alijs quando Deus concessit facultatē faciendi aliquod opus, coniunxit etiam promissionem effectus illi proportionati: sic dedit nobis facultatem merēdi aliquid nostris actionibus; & merito promisit præmium: dedit nobis potestatem satisfaciendi pro pœnis peccatorum nostrorum in

Deus non solū cōcessit satisfactionē vnius pro alio, sed etiā

hâc vitâ; & illi côiunxit promissionē acceptandi nostras satisfactiones pro nobis, &c. ita dicendum est Deum non solùm dedisse potestatem vt vnus satisfaciat pro alio; sed vlteriùs putandum est eum promisisse se acceptaturum satisfactiones vnius pro alio. Deinde certum est (in nostrâ saltem sententiâ) Deum promisisse se acceptaturum nostras satisfactiones in solutionem pœnæ propriæ; certum etiam est eum sæpiùs acceptare satisfactiones vnius pro alio; & eas æquè esse condignas ac pro se ipso; nec aliquid repugnat Deum legem statuisse acceptandi æquè satisfactiones vnius pro alio, quàm pro ipso satisfaciente; ergò rationabiliter dici potest legem statuisse, & promisisse se acceptaturum pro peccatis non solùm satispassionem in Purgatorio, sed etiam satisfactionem in hâc vitâ; eamque vel propriam, vel alterius. Confirmatur primò, aliàs non est cur non possit æquè dici satisfactionem pro se ipso non esse infallibilē, nec fundari super promissione aliquâ, sicut de satisfactione pro alijs asserunt, cùm neutrum euidēter probari possit. Cōfirmatur secundò, vnio charitatis inter fideles tāta est, vt citra expressam intentionē ex bonis operibus vnius omnes participent ex sola radice charitatis, itaut sicut per charitatē fiunt vnum corpus mysticū; ita bonum vnius fit bonum alterius, vt suprà dictum est, idq; certò, & infallibiliter; deinde D D. communiter docent fructū generalem prouenientem fidelibus, de quo *l.1. disp.1. q.1.* applicari certò, & infallibiliter in subiecto capaci. Ergò à potiori satisfactio vnius proderit certò, & infallibiliter alteri ob eandem vnionem charitatis, & ratione expressæ intentionis quâ vnus intendit satisfactiones suas alteri applicare; quod magis ex dicendis *lib.3.* de defunctis patebit. Licet igitur sententia hæc non possit ita scientificè probari, cùm tota pendeat ex diuinâ voluntate, de quâ non apertè constat; quia tamen varijs coniecturis nititur, quæ sententiam probabilem efficiunt, ideò eam puto sequendam, non solùm ob plurimos D D. idem sentientes; sed etiam quia plurimùm fidelibus fauet, & Dei erga nos benignitatem commendat, nec ratio alicuius momenti quæ eam inualidet afferri potest.

promisit se eam acceptaturum.

Ex dictis collige, ad hoc vt suffragia quoad effectum satisfactionis prosint efficaciter alijs, non requiri vt ij quibus applicantur non possint pro se satisfacere; vt docent *Bonau. in compend. Theologicæ veritatis l.7. c.5. & R. char. in 4. d.20. q.3.* sed sufficit quod ex intentione suffragantis illis applicentur supposità dictâ promissione diuinâ; ita vt licet possint pro se satisfacere, & non faciant, modò alius pro ipsis satisfaciat, liberantur à debito pœnæ, vt rectè docet D. *Thomas in 4 d.20 q.1. a.2. quæstiunc.3.* 19

Vt suffragia prosint alijs nō requiritur vt non possint pro se satisfacere.

Pro complemento huius disp. quæritur an satisfactiones suffragiorum 20

æqualem

Quidā volunt satisfactionem propriā esse maiorem, quā alterā cæteris paribus

æqualem effectum remissionis pœnæ habeant applicatæ alteri ac sibi ipsi? *Bonauent.in* 4.*d.*20.*a.*1.*q.*1.*Richar. vbi suprà*, docent plus Deo satisfacere pœnam propriam, quàm alienam, & minoris valoris esse satisfactionem applicatam alteri, quàm sibi; addit tamen *Richardus*, defectum hunc suppleri posse ratione maioris charitatis eius, qui suas satisfactiones applicat alteri, eò quòd opus sit magis satisfactorium, quo ex maiori sit charitate. *Suarez de suffragijs sect.* 3.*n.* 6. vult satisfactiones æqualis esse valoris, cæteris

Alij volunt esse æqualē.

21 paribus siue satisfacienti, siue alteri applicentur. Pro resolutione, nota cùm satisfactiones applicantur alteri, duo reperiri quibus respondet fructus aliquis satisfactionis: Primum est intentio, & voluntas applicantis, quæ cùm sit actus bonus, illi respondet non solùm meritum, sed & satisfactio aliqua; hæc autem manet ipsius operantis, vt rectè *Suarez*, & cùm intendit satisfactiones suffragiorum alteri applicare, non intendit nouam satisfactionem illi voluntati, & intentioni respondentem ei applicare. Alterum quod reperitur, est fructus satisfactionis ipsorum suffragiorum, qui quidem applicatus alteri non fit maior ratione satisfactionis respondentis

Probabilius est esse minorem, & maioris valoris esse applicatam alteri, quā sibi.

22 dictæ intentioni, cùm hæc alteri nō applicetur, vt dictum est. Tota igitur difficultas est an ipsæmet satisfactiones habeant in se maiorem valorem quatenus applicatæ alteri? Ad quod dicendum satisfactiones habere de facto maiorem valorem cùm alteri applicantur, quàm cùm ipsi operanti; ratio est, quia maioris charitatis est exercere opus aliquod satisfactoriū pro altero, quàm pro se ipso: charitas autem hæc non solùm tribuit valorem fructui intētionis prædictæ; sed etiam satisfactioni ipsius operis pro altero facti; & hoc est quod docet *D. Thomas suprà* (quidquid *Suarez* eum in suam sententiam trahere velit) cùm ait: *Pœna habet vim satisfaciendi maximè ratione charitatis, quā homo ipsam sustinet. Et quia maior charitas apparet in hoc quòd aliquis pro altero satisfacit, quàm si ipse sat isfaceret, ideò minor pœna requiritur in eo qui pro altero satisfacit, quàm in principali requireretur.* Non enim dicit pœnam habere vim maximè ex charitate quâ quis eam alteri applicat, sed quâ quis eam sustinet, scilicet pro altero; hic enim actus charitatis influit moraliter in opus satisfactorium, & maiorem illi valorem tribuit. Nec aliud sonant verba *Richardi suprà*, cùm ait opus esse magis satisfactorium quo ex maiori fit charitate, licet ipse contrariæ sit sententiæ.

DISPV-

DISPVTATIO II.

QVÆSTIO VNICA.

Quæ conditiones requirantur ex parte suffragantium, & eorum quibus applicantur suffragia, vt illis fructuosa sint?

EX parte suffragantium requiritur primò statuss gratiæ ad hoc vt fructuosè effectum satisfactionis aliis applicent; quoad effectum autem impetrationis, non requiritur necessariò status gratiæ, licet peccatores non ita facilè impetrent aliquid à Deo, ac iusti. Probatur prima pars, quia existens in mortali non potest exercere opus aliquod nec meritorium, nec satisfactorium, nec sibi, nec alteri; cùm omnis satisfactio, sicut & meritum, supponat amicitiam diuinam, quâ Deus eam satisfactionem acceptat in remissionem pœnæ. Vide dicta *l. 1. disp. 5. & alijs locis.* Probatur secunda pars: licet enim quantum est ex parte orantium in mortali nulla reperiatur condignitas ad effectum impetrationis obtinendum; Deus tamen ex solâ misericordiâ, & bonitate quandoque eis postulata concedit. vnde quod dicitur *Ioann. 9. Deus peccatores non exaudit*, intelligendum est non exaudire frequenter, nec ob eorum preces, quasi sit quædam condignitas, & proportio, seu meritum de congruo ad exauditionem, sed fieri ex solâ liberalitate diuinâ. 1 *Suffragia exigũt statũ g atia in suffragãtibus ad effectũ satisfactionis alijs applicandum, nõ ad effectum impetrationis.*

Circa hanc conditionem superest difficultas: an ex suffragijs nomine Ecclesiæ factis, v. g. ex horis canonicis vltra fructum impetrationis, exurgat fructus aliquis satisfactionis respondens ipsi Ecclesiæ, quando minister recitans est in mortali? Cuius resolutio pendet ex dictis *l. 1. disp. 4. q. 1. & 2.* vbi pluribus dictũ est oblationi sacrificij nomine Christi, & Ecclesiæ factæ nullum specialem effectum satisfactionis respondere: ita etiam dicendum est de horis canonicis, & alijs suffragijs factis nomine Ecclesiæ, quibus nullus etiam effectus satisfactionis respondet, quatenus nomine Ecclesiæ fiunt. Et probatur ampliùs, quia satisfactio respondet actioni 2 *Ex suffragijs factis nomine Ecclesiæ nõ respondet fructus satisfactionis ipsi Ecclesiæ.*

T quatenus

quatenus pœnalis est: Sed recitatio horarum canonicarum non est pœnalis respectu Ecclesiæ, sed solius recitantis: Ergò illi soli respondere debet satisfactio; proindeque quando est in mortali, nulla neque ipsi, neque Ecclesiæ exurgit satisfactio. Nec ratio in contrarium vrget, vt patet ex dictis loco citato. Vnde consequenter non placet quod docet *Nauarrus de orat. cap. 19. n. 59. & c. 20. n. 39.* statû peccati in ministris Ecclesiæ non impedire hunc effectum, eò quòd sit ex opere operato: id enim gratis asseritur, cùm neque sit ex institutione Christi, de quâ nihil colligi potest; neque ex institutione Ecclesiæ, cùm non habeat potestatem instituendi signa collatiua effectus ex opere operato.

Requiritur intẽtio applicãdi alijs suffragia.

3 Secundò requiritur ex parte suffragantium vt habeant intentionem applicandi fructum alteri. Ratio est, quia sine illâ intentione fructus remanet ipsius operantis, nec est ratio cur alteri applicetur. Quod intellige maximè de fructu satisfactionis, qui nunquam alteri applicatur sine intẽtione, si non actuali, saltem virtuali, & interpretatiuâ; & idem est de fructu impetrationis. Quoad gaudium autem proueniens fidelibus iustis tam viuis, quàm defunctis ex radice charitatis, ex bonis operibus aliorum, non requiritur intentio aliqua, sed ex naturâ rei exurgit ratione vnionis & charitatis fidelium inter se, vt suo loco dictum est. Sunt & aliæ quædam conditiones, quæ ab alijs afferuntur, sed non sunt tanti momenti.

Conditiones requisitæ ex parte eorũ quibus appli cantur suffragia.

4 Quoad conditiones requisitas ex parte eorum quibus applicantur suffragia quoad effectũ satisfactionis, sunt primò, vt peccata, pro quibus exoluitur satisfactio suffragiorum, sint deleta quoad culpam. Ratio est, quia non remittitur pœna, nisi priùs culpa remissa sit, cùm manente culpâ semper maneat dignitas, & obligatio ad pœnam, siue sit peccatum mortale siue veniale.

Secundò, vt sint in statu gratiæ; nec hæc conditio cöincidit cum priori; quia qui habet solas culpas veniales, est in statu gratiæ, non potest tamen satisfacere pro pœnâ venialium, nisi priùs quoad culpam remissa sint. Ratio conditionis patet ex dictis suis locis suprà, quia qui sunt in mortali, non solùm indigni sunt vt suis actionibus pro pœnâ peccatorum satisfaciant, sed etiam vt satisfactiones aliorum ipsis applicatas recipiant; deinde quòd vnus satisfactiones suffragiorum, & aliorũ bonorum operum alijs applicet oritur, & fundatur in vnione charitatis fidelium inter se, quæ non reperitur in ijs qui sunt in mortali.

Tertiò, requiritur vt indigeant effectu satisfactionis, seu vt sint debitores alicuius pœnæ; si enim nil debeant, non est quòd alij pro illis soluant. Hinc suffragia quoad effectum satisfactionis nil prosunt beatis, nec iustis

qui

qui non sunt debitores alicuius pœnæ; neque satisfactio applicata eisdem iustis prodest pro eo tempore quo debitores erunt pœnæ, quia non est rationi consentaneum vt priùs soluatur debitum quàm contrahatur, deinde aliàs daretur fidelibus occasio peccandi, credentibus sine nouâ satisfactione se fore liberos à pœnâ si peccent.

Aduerte non esse vlteriùs opus vt satisfactionem illis applicatam acceptent ex præuiâ scientiâ, quia vnusquisque habet implicitam voluntatem acceptandi satisfactiones pro se oblatas; & patet ex praxi Ecclesiæ sæpiùs applicari suffragia alijs nescientibus, quibus tamen non desinunt prodesse quoad effectum satisfactionis. Sufficit ergò acceptatio se tenens ex parte Dei, qui recipit satisfactionem factam ab alio, quasi facta esset à debitore. 5

LIBER TERTIVS.

De fructu & applicatione sacrificij Missæ, & suffragiorum respectu defunctorum.

DISPVTATIO PRIMA.

De diuersis fructibus qui per sacrificia, & suffragia defunctis proueniunt.

QVÆSTIO PRIMA.

Quis fructus generalis proueniat defunctis ex sacrificijs, & suffragijs.



Vppono hîc sacrificia indifferenter offerri pro viuis, & defunctis, vt patet ex *Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3.* item ex ordinatione sacerdotis, in quâ accipit potestatem offerēdi sacrificium pro viuis, & defunctis; & cōformiter ad illud in oblatione Panis ait: *Sed & pro omnibus fidelibus, Christianis viuis atque defunctis.* Sicut igitur *lib. 1. disp. 1. q. 1. d. 1.* dictum est ex omnibus sacrificijs 1

Animæ Purgatorij participant in fructu sacrificiorũ ratione generalis intentionis.

ratione generalis intentionis quâ pro omnibus fidelibus offeruntur, prouenire ipsis fructum aliquem ex opere operato: ita modò dicendum est eum fructum æquè participari à defunctis in Purgatorio degentibus, ac ipsis viuis, cùm pro vtrisque indifferenter offerantur; cum hâc tamen differentiâ, quòd defuncti participent solùm in fructu satisfactionis, & impetrationis, non autem in fructu gratiarum præuenientium. & hic fructus maximè satisfactionis, non prouenit singulis defunctis ex singulis sacrificijs; sed ex omnibus simul sumptis cuique sua portio à Deo distribuitur, vt loco citato *dub.* 2. dictum est. Quibus coniungitur fructus ortus ex orationibus, & alijs suffragijs, & bonis operibus, qui intentione mediâ applicatur omnibus defunctis.

Omnes animæ participant in gaudio de bonis aliarũ

2 Vltra hunc fructum reperitur alius independens ab intentione operantis, qui in ijsdem defunctis oritur ex radice charitatis, quod est gaudium spirituale, quo vnus gaudet, & delectatur de bonis alterius; de quo dictum est loco citato *dub.* 4. & licet fructus satisfactionis applicatus multis, minuatur in singulis; hîc tamen non minuitur, sed potiùs augetur ex plurium participatione, vt docet *D. Thomas in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 4. *quæstiunc.* 2. & hoc gaudium magis participatur à singulis, quo maiori præditi sunt charitate, quia cùm gaudium illud oriatur ex charitate quæ non quærit quæ sua sunt, secundùm augmentũ charitatis augetur. Vt igitur in prædicto gaudio magis participent animæ, & inde vtcumque alleuientur, valdè probabile est, quoties anima è Purgatorio liberatur, aut per viuorum sacrificia, & suffragia alleuiatur, id à Deo alijs reuelari, vt in bonis aliarum suo modo per illud gaudium participent. Difficultas autem hîc oritur an virtute illius gaudij in alijs animabus abbreuientur, aut saltem diminuantur pœnæ Purgatorij: vnde sit

DVBIVM PRIMVM.

An gaudium prouenians singulis animabus Purgatorij ex bonis aliarũ, abbreuiet aut saltem diminuat pœnas?

Per gaudiũ pœna Purgatorij nõ abbreuiãtur sed minuitur, & quomodo?



3 REspondeo, virtute illius gaudij pœnas non abbreuiari, nec minus temporis animas manere in Purgatorio; recipiunt tamen alleuiationem aliquam pœnarum, & earum intentio mitigatur ratione contrariæ dispositionis. ita *Richardus in* 4. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. Probatur prima pars, quia abbreuiatio fit per solam remissionem, seu

solutionem

solutionem pœnarum, quod præstare non potest gaudium illud, quod ad alium effectum ordinatur. Pro probatione secundæ partis, nota, ad productionem effectus duo concurrere, virtutem agentis, & dispositionem passi, itaut effectus perfectior producatur non solùm quando virtus agentis est fortior, sed etiam quãdo passum est meliùs dispositum: & è contrà, vbi passum est minùs dispositum, effectus minùs perfectus producitur; vt patet in exemplo: qui enim naturæ est melancolicæ, & ad tristitiam dispositus, leui de causâ plurimùm tristatur; non sic qui naturæ est iouialis: is enim ratione dispositionis contrariæ multùm roboratur ad sustinendam tristitiam: ex quo patet ratio conclusionis: sicut enim natura melancolica disponit subiectum ad tristitiam: ita natura iouialis resistit tristitiæ, & disponit ad gaudium: & sicut tristitia est dispositio conformis augens pœnam inflictam; ita è contrà gaudium est dispositio contraria, & difformis pœnam inflictam minuens; & hoc in quolibet gaudio accidit, quod subiectum semper reddit minùs dispositum ad tristitiam, & pœnam; vnde cùm gaudium illud animarum reddat illas magis dispositas ad pœnam, & tristitiam, dicimus pœnarum intensionem mitigari, quia ob contrariam dispositionem, & resistentiam subiecti, effectus non ita intensiuè imprimitur. Alia similitudine id ostendit *Richardus suprà*, sicut pœna illius qui onus magnum portat diminui potest, vel per diminutionem oneris, vel per confortationem virtutis ipsius qui portat onus; ita pœnæ Purgatorij dupliciter minui possunt: primò per diminutionem pœnarum, quando scilicet satisfactiones viuorum animabus applicantur in solutionem, & sic pœnæ abbreuiantur: secundò, quando subiectum ad resistendum magis corroboratur, & hoc per gaudium, quod reddit subiectum minùs dispositum ad effectum imprimendum; absque eo tamen quòd dimittatur, aut abbreuietur aliquid pœnæ. & hoc est quod videtur intendere *Diuus Thomas in 4. disput. 45. q. 2. artic.. 4. quæstiunc. 1.* dum hac de re loquens sic ait: *Et sic valor suffragiorum magis attenditur secundùm quandam interiorem consolationem, secundùm quam vnus, in charitate existens, de bonis alterius delectatur post mortem, quantùm ad diminutionem pœnæ.* & vt ostendat se, per diminutionem pœnæ, intelligere solam prædictam alleuiationem, non autem abbreuiationem; addit posteà loquens de ijs pro quibus specialiter fiunt suffragia, illis prodesse ad dimissionem pœnæ; vnde sicut per dimissionem intelligit abbreuiationem; ita per diminutionem intelligit prædictam alleuiationem, & mitigationem.

QVÆSTIO SECVNDA.

An sacrificia, & suffragia prosint animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ per modum impetrationis?

Quidam volunt impetrari posse defunctis gratuitam remissionem pœnæ.

1 *Ib. 2. disp. 1. q. 1. d. 4.* dictum est, neminem posse suis orationibus nec sibi, nec alteri viuenti impetrare liberalem remissionem pœnæ; ex quo colligi etiam vtcumque potest, nec posse defunctis impetrare. vnde vltra *Adrianum* suprà citatum, qui generaliter loquitur tam de viuis, quàm de defunctis, *Caietanus tom. 3. tract. 16. q. 5. §. quoad primum.* id specialiter affirmat de defunctis, vbi docet posse aliquem tribus modis suffragari defunctis, scilicet merendo de congruo liberationem illorum è Purgatorio, vel illam impetrando suis orationibus, vel satisfaciendo pro illis. Illum in proprijs terminis refert, & sequitur *Nauarrus Commentario de Iubileo, notab. 22. num. 15.* & repetit *num. 19. ad 3.* & probari potest hæc sententia duabus rationibus ad defunctos spectantibus. Prima est: licet verum esset eum qui rogat Deum remissionem pœnæ peccatorum tam sibi, quàm alteri, non intendere gratuitam remissionem pœnæ, sed solùm mediatam, mediante scilicet pio motu, quo ad opera satisfactoria exercenda excitatur; licet inquam verum esset, nō potest tamen idem asseri de defunctis, cùm non possint per proprios actus satisfacere, sed solùm satispati; ideoque cùm quis rogat Deum vt liberet animam è Purgatorio, non potest aliud intendere quàm immediatam impetrationem gratuitæ remissionis. Si dicas eum qui orat Deum pro defunctis, applicare illis satisfactionem quæ in ipsâ oratione reperitur, & cùm orat vt Deus eis remittat pœnam, intendere quòd Deus remittat acceptando satisfactionem suæ orationis. Ad hoc respondere possunt, orationem includere quidem satisfactionem aliquam, quam orans intendit applicare defunctis cùm pro illis orat (& in hoc putamus differre orationes factas pro viuis, & defunctis, quòd orando pro viuis, intendimus solùm fructum impetrationis illis applicare; defunctis verò vltrà applicamus satisfactionem orationi inclusam) interim cùm orat Deum vt liberet animam à pœnis, non potest intendere impetrare vt Deus applicet satisfactionem

ctionem suæ orationis in solutionem, cùm hoc sit contra rectam rationem, quia sic oratio seipsam haberet pro obiecto, quod fieri nequit, cùm nulla reperiatur actio reflexa ad id necessaria, ideoque per orationem intendimus impetrare aliquid ab eâ distinctum, scilicet gratuitam remissionem pœnæ. Deinde aliàs oratio nullum effectum specialem haberet super alia opera satisfactoria, & fortè minorem; immò quatenus oratio, vix effectum aliquem haberet in defunctis, cùm tamen plurimos habeat in viuentibus.

Secunda ratio est respectu Beatorum; cùm enim Beati orent pro animabus Purgatorij (vt hîc suppono) non possunt aliud intendere, nisi gratuitam illam remissionem, cùm euasio dicta non habeat hîc locum; orationes enim Beatorum non sunt satisfactoriæ. Cùm igitur liberatur anima è Purgatorio precibus Beati alicuius, pœna non potest aliter remitti, nisi per gratuitam remissionem per modum liberalis impetrationis. Sententia hæc est probabilis, & magis quàm in viuis, ob rationes datas defunctis proprias. Interim tamen 2

Sententia contraria videtur probabilior, & tenenda, orationes scilicet, & sacrificia nunquam prodesse animabus Purgatorij per modum impetrationis ad remissionem pœnæ. Videtur esse *D. Thomæ in 4. d. 45. q. 3. a 3. ad 6.* vbi respondens ad id quod sibi obiecerat, quòd si Sancti orent pro animabus Purgatorij, & impetrent pro eis aliquid, facilè eas totaliter liberarent, respondet: *Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quasi quadam satisfactiones viuentium vice mortuorum, & secundùm hoc mortuos à pœnis absoluunt, quam non soluerunt: sed Sancti qui sunt in patriâ, non sunt in statu satisfaciendi, & ideò non est simile de eorum orationibus, & de suffragijs Ecclesiæ.* Quibus verbis satis ostendit suffragia, & orationes viuorum, & Sanctorum non prodesse defunctis per modum gratuitæ impetrationis, sed tantùm satisfactionis, & solutionis. Idem docet *Sotus ibidem a. 2. in fine: Suffragia*, inquit, *existentibus in Purgatorio non prosunt nisi per modum satisfactionis. Bonauen. item a. 2. q. 1. ad vltimum. Richardus infrà citandus. Suarez de suffragijs sect. 5. &c.* Probatur ex dictis loco suprà citato, vbi probatum est, neminē posse nec sibi, nec alteri viuenti impetrare immediatam remissionem pœnæ, quod æquè locum habet in defunctis, in quibus, sicut in alijs Deus seruat leges iustitiæ vindicatiuæ, & exigit debitam solutionem pœnæ. Deinde quòd prima sententia concedat hanc impetrationē gratuitam defunctis, & fortè potiùs quàm viuis, est ob duas præcipuè rationes initio adductas, quas si soluerimus, satis probata manebit nostra sententia. Vnde ad primam rationem in contrarium, respondeo, orationes viuorum plurimùm adhuc 3 *Alij probabilius negāt.*

prodesse

prodesse defunctis, quia, vt dictum est, satisfactio respondens orationibus, applicatur defunctis. & hoc est quod videtur intendere *D. Thomas, Bonau. & Sotus suprà.* Deinde si spectemus proprium fructum orationis, qui est impetratio, dicendum, per orationes quibus rogamus Deum vt animas liberet à pœnis Purgatorij, nos non rogare gratuitam, & liberalem remissionem per modum impetrationis, cùm illa sit contra leges iustitiæ; sed tantùm vt Deus vijs, & medijs ordinarijs citra læsionem iustitiæ eas liberet; primò acceptando satisfactiones eis per viuos applicatas, & maximè Indulgentiarum; semper enim rationabiliter id petere possumus, siue acceptatio hæc sit certâ lege infallibilis, vt suprà docuimus, siue solùm fiat ex misericordiâ; & in hâc maximè sententiâ non erit modicus fructus orationis, si actualem applicationem satisfactionum eis impetremus. Secundò impetrare possumus vt Deus ad celeriorem liberationem animarum, excitet viuentes, eisque auxilium præstet ad opera satisfactoria facienda, & applicanda defunctis, per quæ fiat debita solutio pœnarum, & satisfiat iustitiæ. & hunc modum puto esse magis rationi cōsentaneum, & hic dici potest effectus maximè proprius orationum, quæ pro defunctis fiunt. Quoad secundam rationem suprà allatam, de modo quo Beati suis orationibus prosunt animabus Purgatorij, sit

DVBIVM.

An orationes Sanctorum prosint animabus Purgatorij ad gratuitam remissionem pœnæ per modum impetrationis?

4 *Sancti orant pro animabus Purgatorij.*



QVòd Sancti orent pro animabus Purgatorij, communis est Ecclesiæ, & DD. sensus, contra *Sotum suprà.* sic enim in quâdam oratione pro defunctis oramus Deum, vt eos *qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ intercedente, & omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedat*; & in aliâ sic habetur: *quosq; vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur.* Dubitatur autem qualiter orationes illæ prosint animabus Purgatorij. Vnde

5 Respondeo, orationes Sanctorum non prodesse animabus Purgatorij ad

ad remissionem pœnarum per modum gratuitæ & liberalis impetrationis. Ita expresse D. *Thomas suprà, & Sotus*,&c. Et colligi potest ex omnibus fundamentis suprà positis; vnde cùm Sancti orant pro animabus Purgatorij, non intendunt impetrare à Deo liberalem remissionem pœnarum; sciunt enim illud de lege communi non fieri; & si fieret, facilè Sancti euacuarent totum Purgatorium; sed solùm intendunt illis prodesse modis, quibus suprà dictum est viuos suis orationibus eisdem prodesse, & maximè vt Deus suscitet, & moueat fideles ad suas satisfactiones illis applicandum.

Orationes Sanctorum non prosũt animabus ad remissionẽ pœnarũ per modum gratuitæ impetrationis.

6 An verò vlteriùs Sancti suis orationibus impetrare possint applicationem satisfactionum suarum superabundantium, quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ sunt, non est ita certum, videtur tamen id esse factibile, & rationi satis congruum; nam primò, ratio cur Deus voluerit vt in thesauro Ecclesiæ vltra satisfactiones Christi, quæ sunt plus quàm sufficientes, includantur etiam satisfactiones Sanctorum, est solùm in eorum fauorem, ne scilicet satisfactiones illæ sine effectu remaneant; si igitur illæ vnà cum satisfactionibus Christi applicentur fidelibus per Indulgentias, ne remaneant inutiles, videtur rationi consentaneum, vt aliâ etiam viâ, & forte æquè congruâ effectum sortiantur, scilicet per hoc quòd Sancti suis orationibus impetrent à Deo applicationem suarum satisfactionum in thesauro repositarũ animabus Purgatorij; si enim summus Pontifex habeat potestatẽ satisfactiones illas cum Christi satisfactionibus dispensandi fidelibus, & animabus Purgatorij, idque ex virtuali volũtate Sanctorum, quâ intendunt satisfactiones suas sibi non necessarias, alijs ex charitate applicare; cur Sancti ipsi eâ potestate priuarentur, aut saltẽ eam applicationẽ suis orationibus impetrare non possent, præsertim cùm id rationabiliter desiderare possint in cœlo. Deinde Sancti aliquãdo habuerunt in vitâ potestatem applicandi alijs suas satisfactiones; quid obstat igitur quò minùs dicamus eos redijsse in ius pristinum? maximè cùm in eorum fauorem Deus velit eas sortiri effectum. Denique sic optimè explicatur quomodo Sancti orent pro animabus Purgatorij, & qualiter eorum orationes non sint inutiles quoad effectum impetrationis, cùm orando impetrent animabus applicationem suarum satisfactionum, quæ nondum sortitæ sunt effectum. & hoc modo satisfit iustitiæ per æquiualentem solutionem. Videtur igitur satis probabilis hæc doctrina, & fortasse vera, sed non certa, eamque indicat *Suarez suprà n. 9.* qui vltrà addit duo. Primum, Sanctum aliquem si 7
satisfactiones superfluas non habeat, rogare posse aliũ Sanctum, vt suarum satisfactionum applicationem impetret à Deo pro animabus Purgatorij. Alterum, posse etiam Sanctos rogare Christum, & impetrare, vt de

Probabile est Sanctos impetrare applicationẽ propriarum satisfactionum superfluarum animabus.

 suis

suis satisfactionibus aliquid applicet pro liberatione animarum; sed hoc secundum non audet affirmare, & magis inclinat in negatiuam, & bene, quia vt suprà dictum est, Christus modò habet rationem causæ vniuersalis. & instituit causas secundas, seu instrumenta per quæ satisfactiones suæ applicantur, nec temerè affirmandum est cum quandoque quibusdam immediatè satisfactiones suas per se applicare; nisi dicamus id fieri ex speciali priuilegio, quod sub legem non cadit; & idipsum dici potest accidisse in historia quam narrat *Petrus Damianus lib. 3. epistolâ* 10. quòd quodam die Assumptionis D. Virginis, eius precibus tanta animarum multitudo è pœnis Purgatorij liberata est, vt numerum totius Romanæ plebis excederet. quod earum aliquæ suis apparitionibus testatæ sunt. In hoc igitur casu, & speciali priuilegio, dici potest D. Virginem impetrasse à Filio solutionem pœnarum ijs animabus ex eius satisfactionibus infinitis; nisi dicamus ad maiorem eiusdem Virginis honorem, eas animas liberatas per proprias ipsius satisfactiones ferè infinitas, quarum applicationem à Filio impetrauit.

D. Virgo liberauit suis precibus plurimas animas e Purgatorio, & quomodo.

8 Aduerte etiam hîc non solùm Sanctos, sed & fideles omnes impetrare posse suis orationibus animabus Purgatorij consolationem aliquam spiritualem, & gaudium accidentale, sicut & pium aliquem motum quibus vtcumque recreantur, & alleuiantur, modo suprà dicto. Ratio est, quia gaudium illud non spectat ad diuinam iustitiam, sicut remissio pœnarum, sed pendet ex liberali misericordiâ Dei, qui sicut plurima beneficia confert viuentibus per modum impetrationis, ita eodem titulo conferre putandus est consolationem, gaudium, & pium aliquem motum ipsis animabus, cùm ijs plurimùm indigeat ad aliqualem pœnarum alleuiationem, præcipuè cùm ex solâ radice charitatis ex bonis aliarum idem gaudium persentiant.

Impetrari potest animabus gaudium, & cõsolatio.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De diſpoſitione requiſitâ in defunctis, ad recipiendum fructum ſacrificiorum,& ſuffragiorum, & eius infallibilitate.

QVÆSTIO PRIMA.

An requiratur aliquid vltra ſtatum gratiæ in defunctis, vt fructus ſacrificiorum, & ſuffragiorum illis applicentur?



Aietanus tom. 1. opuſc. tract. 15. q. 5. §. quoad tertium. docet ſuffragia ſpecialiter quibuſdam defunctis applicata, non habere in illis effectum, niſi meritum aliquod præceſſerit; eas autem ſolas dicit meruiſſe, quæ dum viuerent ſollicitè curarunt ſatisfacere pro peccatis,& deuotionem habuerunt ad ſuffragandum defunctis &c. Idem docet de Indulgentijs quas dicit illis etiam ſolis prodeſſe quæ in vitâ habuerunt deuotionem erga claues Eccleſiæ donatiuas Indulgentiarum, ſed de hoc infrâ; Illas autem quæ dum viuerent nullam curam defunctorum habuerunt, nec ſatisfacere pro peccatis ſtuduerunt, docet non iuuari aliorum ſuffragijs, licet ſpecialiter pro illis fiant, idque in vindictam indeuotionis, & incuriæ. Probat ſuam ſententiam primò, quia animæ Purgatorij eo ipſo quò deceſſerunt in ſtatu gratiæ, meruerunt vt viuorum ſuffragia illis prodeſſe poſſint, ſed non vt actu proſint; cuius ratio eſt, quia animam reddi capacem ſuffragiorum, ſpectat ad meritum eſſentiale, ſeu ſtatum gratiæ ideoque omnes animæ Purgatorij ſunt capaces ſuffragiorum: animam verò actu iuuari ſuffragijs, ſpectat ad præmium accidentale, quia dicit ſolam remiſſionem pœnæ temporalis quæ eſt aliquid accidentale, ideoque reſpondere debet, non merito eſſentiali, ſed ſolùm accidentali; Cùm igitur actualis remiſſio pœnarum Purgatorij tanquam aliquid accidentale, non debeat reſpondere merito eſſentiali, quale eſt ſtatus gratiæ in animabus; rectè ſequitur eas ob ſolum ſtatum gratiæ, non

1 *Sententia Caietani requiri meritũ aliquod in animabus ad recipiendum fructũ ſuffragiorũ.*

posse dici meruisse dùm viuerent, vt suffragia illis prodessét post mortem, sed debet illud factum fuisse per aliquid accidentale, qualis est deuotio erga defunctos, & alia suprà dicta. Probat secundò, auctoritate *D. Thomæ 3. p. q. 52. a. 8. ad* 1. vbi ait per descēsum Christi ad inferos, illos è Purgatorio liberatos esse, *qui iam sufficienter purgati erant, vel etiam qui dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem, & deuotionē ad mortem Christi, vt eo descendente liberarentur à temporali Purgatorij pœnâ*, quibus verbis colligitur in sentētiâ *D. Thomæ*, quasdam animas liberatas è Purgatorio ob meritum accidentale, scilicet ob deuotionem ad mortem Christi. Adducit etiam auctoritatem *D. Augustini, Enchiridij c.* 109. vbi ait sacrificiū illis defunctis prodesse, qui cùm viuerent vt hæc sibi prodesse possent meruerunt, Sententia hæc *Caietani* vocatur à *Soto infrà* singularis, & commentitia à *Nauarro item infrà*, noua, & non sequenda; vnde

2 *Non requiritur in animabus Purgatorij vltra statū gratiæ meritum aliquod ad recipiendum fructū sacrificiorum.*

Respondeo, & dico, ad sacrificia, & suffragia fructuosè applicanda animabus Purgatorij, sufficit in illis status gratiæ, nec requiritur speciale aliquod meritū quod in vitā præcessit, cùm status gratiæ reddat eas capaces actu recipiendi fructum sacrificiorum, & suffragiorum. Ita cōmuniter D D. cum *Magistro in 4. d.* 45. qui docent absolutè, & sine restrictione, sacrificia, & suffragia prodesse defunctis quibus applicantur, absque eo quòd præexigant speciale aliquod meritum; sic enim ait Magister: *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleēmosynis quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adiuuari; hoc enim à Patribus traditum tota obseruat Ecclesia.* Idem docent Patres, *Cyrillus Hierosol. catech. 5. Pro omnibus oramus qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen pro quibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi quod in altari positum est sacrificij.*

3 *Defectus deuotionis erga defunctos nō est impedimentum ad fructū recipiendum.*

Probatur ratione, sacrificia, & suffragia effectum sortiuntur in subiecto capaci, in quo nullum est impedimentum: sed in animabus Purgatorij nullum est impedimentum: cùm sint in statu gratiæ; ergò in illis sortiuntur effectum. Nec est quòd dicat *Caietanus*, defectum deuotionis prædictæ erga defunctos, esse impedimentum; non enim est impedimentum ex naturâ rei, vt constat, cùm omnes animæ Purgatorij, ratione solius status gratiæ, sint æquè capaces, & susceptibiles fructus sacrificiorū, & suffragiorum; neque est ex ordinatione diuinâ cùm nullibi constet Deum ita ordinasse, proindeque non est temerè asserendum; deinde deuotio præhabita erga defūctos potest quidem in animabus habere rationem cuiusdam dispositionis moralis ad specialem aliquem effectum, vt infrà dicetur; non sequitur tamen defectum illius deuotionis in alijs animabus, dicere impedimentum ad recipiendum fructum sacrificiorum, & suffragiorum qui il-

lis

lis specialiter applicatur. Et licet verum sit congruum esse quòd Deus specialiter remuneret deuotionem eorum qui in vitâ fuerunt affecti erga animas Purgatorij; suppetunt tamen alia media, quibus Deus eam deuotionem remunerare potest, absque eo quòd dicatur sacrificia, & suffragia illis solis prodesse, non autem alijs, licet specialiter illis applicentur. Hæc sententia magis patebit ex refutatione rationum *Caietani*, & pluribus alijs in progressu dicendis.

Ad primam rationem *Caietani*, falsum est animas Purgatorij eo ipso quò sunt in statu gratiæ, meruisse solùm vt suffragia illis applicata prodesse possint, non autem vt actu prosint, vt fusiùs dubio sequenti. Ad confirmationem Respondeo, subtilitatem illam esse hîc frustraneam, potest enim statui gratiæ, cui respondet præmium essentiale, respondere etiam effectus accidentalis; vnde meritum hîc non dicit dispositionem aliquam veram, & positiuam, sed tantùm capacitatem quę in animabus à statu gratiæ oritur, vt optimè *D. Thomas*, & alij infrà citandi. 4

Ad secundam respondeo, licet ex verbis *D. Thomæ* colligatur Christum descendendo ad inferos, liberasse quasdam animas, ratione deuotionis præhabitæ dum viuerent ad mortem suam, id ex speciali priuilegio fieri debuit, & ob descensum Christi extraordinarium ad inferos; quod non inducit legem communem, quam constituere vult *Caietanus*, cui expressis verbis contradicit *D. Thomas infrà*.

Ad auctoritatem *Augustini*, super cuius verbis maximè fundat suam sententiam, quia verba illius habent plurimum auctoritatis, & communiter à D D. citantur, paulò fusiùs enodanda sunt, vnde sit

DVBIVM PRIMVM.

Quid sibi velint verba hæc Augustini?

Sacrificium illis defunctis prodest, qui cùm viuerent, vt hæc sibi posteà prodesse possent, meruerunt.



VT meliùs sensus horum verborum percipiatur, plura ex eodem contextu retuli. *Augustinus* igitur *in Enchiridio c.*109. sic ait: *neq; negandũ est defunctorũ animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro ipsis sacrificiũ mediatoris offertur, vel eleëmosyna in Ecclesia fiunt: sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerẽt, vt hæc sibi posteà prodesse possẽ. meruerunt. est enim* 5

quidam vivendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. est verò talis in bono vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm ex hâc vitâ transierit adiuuari. *Caietanus suprà* verba hæc *Augustini* in suam sententiam trahit, & dicit eum non velle sacrificia prodesse omnibus animabus Purgatorij pro quibus specialiter offeruntur; sed ijs tantùm quæ ob deuotionem quam habuerunt erga animas Purgatorij dum viuerent vt hæc sibi posteà prodesse possent meruerunt; vult igitur meritum quod exigit *Augustinus*, esse deuotionem erga animas Purgatorij, &c.

Explicatio verborum Augustini à Caietano

6 Meliùs tamen, & veriùs explicant *Augustinum*, qui docent eum assignare distinctionem inter damnatos, & existentes in Purgatorio, in hoc quòd damnatis non prosint sacrificia viuorum, quia cùm mortui in peccatis, se reddiderint incapaces adiutorij, dici possunt non meruisse in hâc vitâ, vt hæc illis post mortē prodessent; omnes verò animæ Purgatorij cùm sint in eo statu in quo possunt iuuari, quatenus decesserunt in gratiâ, eatenus etiā meruerunt vt sacrificia pro se oblata sibi prosint; vnde meritū illud nil dicit aliud quàm capacitatē vt possint illis ea applicari, quod status gratię satis efficit. Et ita intelligit mentem *Augustini Magister suprà*, vbi postquam retulit prędicta eiusdem verba, ait: *Non ergò ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt antè mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem.* quod magis explicat subdens: *nam qui sine fide operante per dilectionē, eiusq; sacramētis de corpore exierunt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius dum hîc essent pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, sed iram.* Idem docet D. *Thomas* eâdem *dist. 45. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. ad 6.* vbi loquens de defunctis sic ait: *Ad hoc vt suffragium alicui valeat, requiritur ex parte eius pro quo fit, capacitas huius valoris, & hanc homo acquisiuit per opera propria quæ gessit in vitâ. & sic loquitur Augustinus in litterâ:* scilicet loco citato, *& a. 4. quæstiunc. 1. ad 2: illud meritum est conditionale. quo sibi meruerunt: hoc enim modo sibi meruerunt vt sibi prodessent, si pro eis fierent, quod nil aliud fuit quàm facere se habiles ad recipiendum: vnde patet quod non directè meruerunt illud iuuamen suffragiorum, sed per merita præcedentia se habilitauerunt, vt fructum suffragiorum susciperent. Sotus ibidem quæst. 2 art. 4. concl. 2. illud mereri, non fuit aliud, quàm facere se per charitatem capaces aliorum suffragiorum, quæ pro illis fierent, atque habiles ad eorum fructum percipiendum.* Idem docet *a. 2. concl. 4. & dist. 21. q. 2. a. 3. Bonauentura a. 2. q. 3. ad 1. Adrian. quodl. 8. a. 2. Estius in 4. d. 20. in fine. &c.* Probatur, intentum *Augustini* verbis citatis, non est ostendere quibus animabus Purgatorij prosint sacrificia illis applicata, & quibus non; sed quibus prosint ex omnibus animabus defunctorum; docet autem prodesse

Melior aliorū explicatio.

illis

illis, quæ dum viuerent meruerunt vt hæc sibi prodessent post mortem. Quod vt magis explicet, assignat varios status defunctorum, quorum quidam sunt in cœlo, & non indigent sacrificiis; alij in inferno, & illis prodesse non possunt; alij in Purgatorio, quorum quidam licet omninò bene vixerint, habent tamen adhuc aliquid puniendum; alij non ita bene vixerunt, mortui tamen sunt in gratiâ, & hi magis sacrificijs indigent; & hi omnes qui sunt in Purgatorio soli capaces sunt fructus sacrificiorum, quia mortui sunt in gratiâ, sicque meruerunt in vitâ, vt hæc sibi applicarentur. Quod idem *Augustinus* explicat inferiùs dicens: *Non enim omnibus prosunt. & quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore.* vbi expressè dat rationem cur sacrificia vni defuncto magis prosint quàm alteri, non quia vnus habuit deuotionem erga defunctos dum viueret, vt vult *Caietanus*, sed propter differentiam vitæ, quia vnus mortuus est in mortali, & ideò damnatus, alius decessit in gratiâ & soluens reliquum pœnæ in Purgatorio iuuari potest sacrificijs. Probatur ampliùs, reijciendo rationem *Caietani* quæstione præcedenti relatam, vbi dicit omnes animas Purgatorij, eo ipso quò decesserunt in gratiâ, meruisse vt sacrificia viuorum eis prodesse possint, non autem vt actu prosint, nisi per deuotionem quam habuerunt aliquãdo erga defunctos: hoc inquã reijcitur, quia *Augustinus* non dicit sacrificium eis prodesse, quæ dum viuerent, meruerunt vt hæc eis actu prodessent, sed quæ meruerunt, vt hæc sibi prodesse possent; vbi apertè solùm requirit capacitatem ad hoc vt possint iuuari, quod sufficienter habent omnes animæ Purgatorij. Et eodem modo intelligendus est idem *Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei. cap. 24*, dum ait: *pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio, sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec vsque adeò vita in corpore malè gesta vt tali misericordiâ iudicentur digni non esse, nec vsque adeò bene, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere*. Item *lib. de curâ pro mortuis cap. 4.* & alijs locis.

DVBIVM

DVBIVM SECVNDVM.

An sacrificia applicata animabus Purgatorij, producant suum effectum iuxta quantitatem deuotionis quam habuerunt in hac vita erga sacrificia?



7 Væstio hæc pendet ex aliâ superiori, quæ agitata fuit *lib.* 1. *disputat.* 3. an scilicet sacrificium Missæ habeat fructum ita indeterminatum, vt determinari debeat iuxta deuotionem quâ erga sacrificium affecti sunt; de quo multa loco citato. *Caietanus* igitur *tom.* 2. *tract.* 3. *q.* 2. conformiter ad suam sententiam quâ docuerat fructum sacrificij determinari, & quantificari iuxta deuotionem eorum pro quibus offertur; addit eodem modo etiam prodesse defunctis, quibus applicatur iuxta deuotionem quam in vitâ habuerunt erga sacrificia. Hunc sequitur *Vasquez disp.* 231. *cap.* 7. Ratio autem cur ad has extremitates confugere cogantur, est, quia nolunt fructum sacrificij esse ex sui institutione determinatum, sed infinitum syncategorematicè, qui proinde aliundè determinari debet; nolunt autem determinari ex deuotione sacerdotis offerentis, sed ex recipientium deuotione, quâ causaliter suo modo concurrunt ad sacrificia: cùm igitur necessaria sit ea deuotio in ijs quibus sacrificia applicantur, nec modò talis reperiatur in animabus Purgatorij, confugiendum est ad deuotionem quam aliquando habuerunt in vitâ erga sacrificia, quæ in illis quantificare debet, & determinare fructum sacrificiorum. Sed quàm sit particularis hæc sententia satis ex se constat; vnde

Caietanus affirmat.

8 Contrarium omnino verũ est, fructum scilicet sacrificij applicatum defunctis non determinari, & quantificari iuxta deuotionem quam habuerunt in vitâ erga sacrificia. quod ex duplici capite colligo: primò quia in nostra sententia, vbi suprà, fructus sacrificij ex opere operato determinatus est à Christo in primâ institutione, itaut neque augeri, neque minui possit ex maiori, vel minori deuotione non solùm eius cui applicatur, sed etiam sacerdotis offerentis; cùm igitur deuotio hæc impertinens sit ad effectum illi applicatum, frustrà recurritur ad deuotionem quam defuncti habuerunt in vitâ. Secundò, licet verum esset fructum sacrificij determinari

Contrarium tamen est verum.

determinati ex deuotione eorum quibus applicatur; non sequeretur tamen fructum applicatum defunctis determinari ex deuotione in vitâ præhabitâ, quia deuotio illa potuit quidem determinare fructum illis in vitâ applicatũ; sed non illum qui modò applicatur, cùm ad determinationem illius requiratur præsens deuotio; cùm enim deuotio hæc habeat rationem cuiusdam dispositionis in subiecto, & sacrificium producat perfe- 5
ctiorem effectum in subiecto meliùs disposito, requiritur actualis dispositio eo tempore quo fructus sacrificij applicatur, itaut quælibet dispositio præhabita nihil deseruiat, cùm actu debeat ad perfectionem effectus concurrere, proindeque quælibet deuotio præhabita in defunctis nihil conferre potest ad determinationem fructus sacrificij, sed præsens, & actualis requiritur. Nec est quòd dicant, in quorundam sententiâ baptismum sublato obice reuiuiscere, idque iuxta dispositionem præhabitam in susceptione. Ex hoc enim non sequitur quod intendunt, quia Baptismus est causa moralis, qui produxisset suum effectum iuxta dispositionem recipientis, si non fuisset positus obex; cùm igitur effectus hic remaneat in acceptatione diuinâ, nón est cur remoto obice non possit producere eundem effectum quem primò produxisset iuxta primam dispositionem recipientis: in applicatione verò fructus sacrificij ipsis defunctis, nil est simile, cùm deuotio tempore præcedat applicationem fructus sacrificij, ad quem idcircò non potest subiectum disponere, nec ipsum fructum determinare, cùm applicatio actualis dispositionem actualem exigat.

4 Ex dictis sequitur magis reijciendum esse Caietanum in hoc quòd non solùm docet deuotionem præhabitam in defunctis determinare fructum sacrificij, sed etiam suffragiorum, & communium Ecclesiæ orationum, ex quibus omnibus defuncti recipiant fructum conformiter ad deuotionem quam erga illa in vitâ habuerunt: licet enim id fieret in fructu sacrificij ob eius indeterminationem; semper tamen fructus suffragiorum, & orationum determinatur ex deuotione operantis, non recipientis. Vide dicta *lib. 1. disp. 1. q. 1. d. 1.*

Multò minus sententia Caietani vera est in suffragijs.

X QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An fructus sacrificiorum, & suffragiorum applicetur certò, & infallibiliter animabus Purgatorij?

DVBIVM PRIMVM.

An fructus sacrificiorum applicetur infallibiliter animabus Purgatorij?

1 *Quidam dicit fructum sacrificij non esse infallibilem in defunctis.*



Væstione præcedenti dictum est ex parte animarum sufficere statum gratiæ, nec requiri meritum aliquod accidentale; quæritur modò, an aliundè reperiatur aliquid, quò minùs sacrificia prosint illis certò, & infallibiliter.

Quorundam igitur sententia est, Missæ sacrificium non habere effectum infallibilem remissionis pœnæ ex opere operato in animabus Purgatorij. ita *Canus de locis lib. 12. cap. 13. ad 9. §. qui verò.* vbi assignat differentiam inter viuos, & defunctos quoad effectum sacrificij, quòd viuis prosit ex iustitia per viam redemptionis, & pretij, vt inquit; defunctis verò non nisi per modum suffragij, sicut Indulgentiæ. *Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1. & d. 19. q. 2. a. 4.* vbi docet effectum pendere ex acceptatione diuinâ. *Corduba lib. 1. q. 3. opin. 4.* Generaliter igitur docent sacrificium habere quidem certò, & infallibiliter effectum remissionis pœnæ ex opere operato in viuis, non tamen in defunctis, quibus non prodest nisi per modum suffragij eo modo quo suffragia, & orationes viuorum prosunt defunctis: sicut enim, inquiunt, non tenetur Deus acceptare certò, & infallibiliter suffragia viuorum applicata defunctis, eò quòd legem non statuerit ea acceptandi: ita neque tenetur sacrificia ijsdem defunctis applicata acceptare, sed solùm secundùm beneplacitũ; & idem docent de Indulgẽtijs; immò ex eo quòd putent Indulgentias non prodesse defunctis infallibiliter; idem inferunt de Missæ sacrificio.

Contra-

Contraria tamen sententia sicut est verior, ita & communior, Missæ sacrificium non solùm in viuis, sed etiam in defunctis habere effectum infallibilem remissionis pœnæ ex opere operato. ita *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3 ad 3. Azorius lib. 10. cap 22. q. 10. Henricquez lib 9. cap. 16. n. 1. Suarez disp. 79. sect. 10. Vasquez. disp. 228. cap. 4. Nugnus q. 83. art. 1. d. 6. Mercerus d. 5.* Probatur primò, ex formâ consecrationis sacerdotum. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* quibus verbis indifferenter datur potestas offerendi sacrificium tam pro defunctis quàm pro viuis; nec vlla discretio inter illos assignatur; ergò si viuis prodest infallibiliter, proderit & defunctis. & conformiter ad hoc *Trident. sess. 22. cap 2.* ait: *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis & satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. & can. 3. si quis dixerit Missæ sacrificium soli prodesse sumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis pœnis, satisfactionibus & alijs necessitatibus offerri debere anathema sit. & sess. 25. c. 1.* dicit Ecclesiã ex sacris litteris, & Patrum traditione docere animas Purgatorij iuuari viuorũ suffragijs, & maximè Missæ sacrificio. Cùm igitur cõsuetudo offerendi sacrificiũ indifferenter pro viuis & defunctis sit in Ecclesia per Cõcilia generalia recepta, in traditionibus non solùm Patrum, sed & Apostolorũ fundata, sicut & in ipsâ formâ consecrationis sacerdotum: abundè liquet Ecclesiã semper intellexisse institutionem sacrificij ita à Christo factã, vt voluerit indifferenter & absque discretione offerri posse pro viuis & defunctis; & eodẽ modo, & efficacitate illis omnibus prodesse, id est certò & infallibiliter; imò videtur specialis aliqua ratio in defunctis, quæ non in viuis, quatenus non sunt capaces satisfactionis, sed solùm satispassionis & acerbissimis pœnis luere debent residuum peccatorum: viui verò facilè possunt pro pœnâ peccatorum satisfacere; ideoque æquum fuit vt Christus institueret hoc sacrificium offerendum æque efficaciter pro defunctis, ac viuis.

2 *Alij melius esse certum & infallibilem.*

Probatur secundo, commune est sacramentis, & sacrificio, vt fructus suos ex opere operato semper, & infallibiliter conferant non ponentibus obicem; immò multi ad ostendendam infallibilitatem fructus sacrificij volunt in peccatoribus sublato obice reuiuiscere; cùm igitur sacrificiũ applicatur animabus Purgatorij, non est cur in illis non habeat effectum, cùm nullum obicem reperiat, nec enim defectus deuotionis erga defunctos, habere potest rationem obicis; cùm de obice positiuo hîc sit sermo, qualis est solùm peccatum mortale. 3

Nec alicuius valoris est fundamentum contrariæ sententiæ: nam licet verum esset, Indulgentias non prodesse infallibiliter defunctis (quod tamen 4

Reijcitur fundamentũ

contraria sententia. men infrà reiiciemus) non sequeretur tamen exinde sacrificium non prodesse etiam infallibiliter. & ratio est, quia si Indulgentiæ non prodessent infallibiliter defunctis, ideò esset quia Ecclesia, cuius auctoritate illis applicantur Indulgentiæ, non habet iurisdictionem aliquam in defunctos, ratione cuius non possunt illis applicari per modum absolutionis, sed tantùm per modum suffragii: in sacrificio verò Missæ fructus applicatur ex institutione Christi, qui sicut habet supremam iurisdictionem in viuos, ita & in defunctos, ideoque non est ratio cur effectus sit minùs infallibilis in defunctis, quàm viuis: vnde sacrificium non prodest defunctis per modum suffragii, sed ex institutione diuinâ.

DVBIVM SECVNDVM.

An suffragia prosint infallibiliter animabus Purgatorij?

Dubium hoc specialem habet difficultatem supra sacrificia, quæ habent effectum ex opere operato ex institutione diuinâ, qui infallibilis est in non ponentibus obicem; pendet tamen ex dictis *q. 1. huius disp. & lib. 2. disp. 1. q. 2. d. 3. §* 3. vnde conformiter ad ibidem dicta

5 Dico primò. suffragia quoad effectum satisfactionis applicantur certò, & infallibiliter animabus Purgatorij. ita *Adrianus quodl. 8. art. 2. Couarru. c. Alma mater p. 1. §. 5. n. 11.* vbi plures citat, & vocat eam sententiam verè catholicam. *Nauarrus lib. de oratione cap. 20. n. 82. & melius de Iubileo notab. 22. n. 17. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 8. Suarez de suffragijs sect. 6* & colligi potest ex ijs quæ *D. Thomas* docet *in 4. d. 45. q. 2. a. 1. quæst. 2.* vbi indifferenter docet suffragia prodesse viuis & defunctis, nec vllam diuersitatem in illis constituit. & tota ratio pendet ex promissione diuinâ; nam quantum est ex parte operis satisfactorij, est sufficiens proportio: si enim, vt dictum est suprà, est sufficiens proportio inter satisfactiones fidelium, & pœnas temporales debitas peccatis; item inter satisfactiones vnius, & pœnas alterius viuentis; erit consequenter eadem proportio inter satisfactiones viuentiũ, & pœnas debitas in animabus Purgatorij, cùm in omnibus pœnæ debitæ quæ per satisfactiones soluuntur sint pœnæ soluendæ in Purgatorio. Deinde quantum est ex parte animarum, sunt æquè capaces recipiendi fructum satisfactionum fidelium, ac viuentes, cùm æquè sint in statu gratiæ, nec meritum aliud requiratur, vt dictum est; immò magis

Suffragia habent effectũ infallibilem in defunctis.

gis indigent quàm viuentes, cùm non possint pro se ipsis satisfacere; ideoque ex parte ipsius Dei est maior quædam congruentia acceptandi satisfactiones viuorum pro defunctis ex pacto, & promissione, quam pro alijs viuis; proindeque dicendum est, quòd sicut Deus promisit se acceptaturum satisfactiones fidelium, non solùm pro se ipsis, sed etiam pro alijs viuentibus; consequenter etiam promisit eandem acceptationem pro animabus Purgatorij. Et colligitur non solùm ex *D.Thomâ citato* & alijs DD. qui eodem modo loquuntur de applicatione & acceptatione satisfactionum respectu viuorū & defunctorum; sed etiam *ex Trident. sess. 25. in decreto de Purgatorio*, vbi dicitur Ecclesiam semper docuisse animas Purgatorij fidelium suffragijs, & maximè Missæ sacrificio iuuari; loquitur enim tanquam de re certâ, & infallibili, & in eodem gradu ponit suffragia cum Missæ sacrificio; constat autem ex dictis Missæ sacrificium habere effectum infallibilem; ergò & suffragia. item *2. Mach. 12. sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Eodem modo loquuntur Patres, *Augustinus Enchirid. cap. 109.* dicit nullo modo negandum esse animas parentum sacrificijs, & eleëmosynis iuuari; quibus adde suffragia orationum. *Damascenus oratione de ijs qui in fide dormierunt.* (si tamen est illius) vbi pluribus locis asserit sacrificia, eleëmosynas &c. certò prodesse defunctis quibus applicantur, & dicit Deum ita acceptare sacrificia, & preces quas fundimus pro parentibus, & amicis defunctis, ac si ipsi ea bona opera fecissent: idem citat *Dionysium Hierarc. Eccl. cap. 7.* dicentem Sanctorum preces in ijs qui sanctis precibus digni sunt, hoc est, pijs, ac fide præditis efficaces esse. Quibus omnibus constat valdè probabile esse suffragia prodesse certò & infallibiliter animabus Purgatorij quibus applicantur.

Dico secundò, suffragia specialiter applicata quibusdam animabus Purgatorij, illis prosunt quoad totum suum valorem & effectum satisfactionis. Patet ex dictis, quia cùm satisfactiones applicentur animabus certò, & infallibiliter, & ex iustitiâ, necesse est vt illis prosint quoad totum suum valorē, & effectum; cùm enim satisfactio habeat rationem solutionis, quanta erit satisfactio, tanta erit & solutio pœnæ in ipsis animabus quibus applicatur; vnde maior vel minor sanctitas nil conducit ad augmentum, vel diminutionem huius effectus, cùm non habeat rationem veræ dispositionis in ordine ad talem effectum recipiendum, sed sufficiat status gratiæ. 6 *Suffragia prosunt ijs quibus applicantur qu ad totū effectum:*

7 Obijcies primò animas Purgatorij non esse mēbra Ecclesię visibilis, nec pertinere ad Ecclesiam militantem, nec esse in statu satisfaciendi, sed satispatiendi; ergò non iuuantur fidelium suffragijs, sicut viui, cùm sit cum eis minor communicatio. Respondeo animas Purgatorij cùm non sint adhuc in termino, esse aliquo modo viatrices, vt patet ex eo quòd ex sensu Ecclesiæ communicent, & participent in bonis operibus fidelium ex radice charitatis; item ex eo quòd saltem iuuari possint fidelium suffragijs, vt definitum est; licet igitur non sit tanta communicatio cum illis, sicut est inter viuos; est tamen sufficiēs ad hoc vt possint recipere fructum suffragiorum quæ illis applicantur. Deinde licet non sint in statu satisfaciendi per proprios actus; possunt tamen aliorū satisfactionibus gaudere.

8 Obijcies secundò, in bullis Pontificijs, vt ostendatur Indulgentias non ita certò applicari defunctis, sicut viuis, dici communiter defunctis prodesse per modum suffragij; ergò signum est suffragia non prodesse infallibiliter. Respondeo negando consequentiam; dicemus enim disputatione sequenti, Indulgentias prodesse etiam infallibiliter defunctis; vnde particula hæc (per modum suffragij) solum ostendit diuersum modum quo Indulgentiæ prosunt defunctis, quia scilicet illis non prosunt per modum absolutionis quæ exigit iurisdictionem, sicut prosunt viuis, sed tantùm per modum solutionis ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, de quo infrà.

DVBIVM TERTIVM.

An igitur diues qui totâ vitâ fuit in delitijs, recipiat totum fructum omnium sacrificiorū, & suffragiorum quæ pro ipso fiunt, & pauper qui non habet qui pro ipso oret, fiat solùm particeps communium suffragiorum?

9 *Ratio dubitandi.*



Væritur an in eo casu diues recipiat totum fructum sacrificiorum, & aliorum suffragiorum quæ pro illo fiunt, & fieri iubentur à parentibus; an verò Deus suâ prouidentiâ applicet partem illius fructus totalis pauperi qui nullum habet à quo specialiter iuuetur: videtur enim quòd Deus partē illius fructus distribuere debeat, aliàs pauper esset deterioris conditionis in ordine ad salutem; deberet enim pro exiguâ pœnâ relictâ diu cruciari defectu adiutorij; diues verò esset

esset melioris conditionis, cùm ob multiplicata sacrificia, & suffragia citò liberaretur, etiam à magnâ pœnâ soluendâ. Deinde cùm diues semper fuerit in delitijs, licet mortuus sit in gratiâ, æquum est vt aliquid maius in Purgatorio soluat, cùm de facto minùs meruerit alienis satisfactionibus liberari; pauperi verò rationabiliter poterit Deus succurrere, licet nullus suffragia illi specialiter applicet, applicando scilicet partem satisfactionum quæ pro diuite exhibitæ fuerant.

Respondeo tamen loquendo de lege communi, diuitem recepturum 10 omnem fructum satisfactionis ex singulis sacrificijs, & suffragijs illi specialiter applicatis. ita expressè *Magister in 4. d. 45. D. Thomas ibidem q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. Sotus ibidem.* & docere debent omnes in præcedentibus pro nostrâ sententiâ citati.

Diues recipit fructum omnium suffragiorũ sibi applicatorũ.

Probatur primò ex dictis, quia sacrificia, & suffragia prosunt certò, & infallibiliter quoad totum effectum animabus Purgatorij, quibus applicantur; ergò diuiti proderunt singula sacrificia & suffragia illi applicata idque quoad totum effectum; quòd verò dicitur nutritus fuisse in delitijs, & non habuisse curam satisfaciendi pro peccatis; non facit quò minùs totum fructum illi applicatum recipiat, cùm ad hoc non requiratur meritum aliquod, sed sufficiat status gratiæ, virtute cuius omnes animæ Purgatorij dicuntur meruisse liberationem à pœnis per suffragia casu quo illis applicentur.

Secundò, quòd diuiti tantus fructus applicetur, est, quia parentes curam illius habuerunt, vel ipse curauit testamento omnia illa suffragia fieri post mortem; ideoque in bonum ipsius est quòd facta sint, & illi applicentur. Nec per hoc pauperes sunt absolutè peioris conditionis, quia, vt 11 rectè *D. Thomas suprà quæstiunc. 1. ad 3. Sotus, & Corduba lib. 1. q. 3. opin. 5. §. ad secundum respondeo.* pauperes sunt melioris conditionis absolutè, in ordine ad præmium essentiale, tum quia habent plures occasiones salutis, quàm diuites; tum etiam quia suis afflictionibus facilè mereri possunt ampliorem gloriam; & sic interpretatur idem *D. Thomas* illud *Lucæ 6. Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum Dei.* Fatendum tamen est pauperes esse peioris conditionis secundùm quid, in ordine scilicet ad tardiorem liberationem è Purgatorio; sed illud nihili reputatur respectu prædicti præmij essentialis. Deinde pauperes iuuari possunt aliundè; primò, eò quòd Deus suscitet aliquos, qui illis suas satisfactiones applicent, vt de ijs qui in vitâ affecti fuerunt erga defunctos, dicetur. Secundò, credibile est animabus illis derelictis Deum misericorditer applicare satisfactiones, quæ in alijs animabus non habuerunt effectum, puta quia sunt in cœlo vel in inferno, vt iam dicetur.

Pauperes nõ sunt ideo peioris conditionis.

DVBIVM

DVBIVM QVARTVM.

An cùm sacrificia, & suffragia non habent effectum in defuncto cui applicantur, puta quia sit in cælo, vel in inferno, applicentur ex misericordia animabus indigentibus, & derelictis?

12 *Credibile est fructum applicatum ijs qui non indigent, applicari alijs indigentibus.*



RESpondeo credibile esse, fructum sacrificiorum, & suffragiorum applicatum ijs in quibus non habet effectum, vel qui sunt in cœlo, vel in inferno, ex diuinâ misericordia alijs indigentibus applicari pro quibus non fiunt suffragia. ita *D. Thomas suprà quæst. 3. ad 2.* eum sequuntur *Adrianus quodl. 8. a. 3. Corduba l. 1. q. 3* [illegible] *§. & de residuo Fraxinell. sect. 3. §. 11. n. 3. &c.* Probat *D. Thomas ex Damasceno sermone de dormientibus*, vbi ait: *Deus tanquam iustus commetietur impotentis possibilitatem, tanquam suscipiens verè defectum, commutationem negotiabitur*, & hanc negotiationem in hoc consistere docet *D. Thomas*, vt quod deest vni, alter suppleat. hoc enim licet non sit certum, est tamen rationi satis congruum maximè de fructu satisfactionis respondente suffragijs viuorum; tum ne satisfactiones illæ priuentur suo fructu, quo tamen tam multæ animæ in Purgatorio indigent; tum etiam quia animæ illæ derelictæ quæ à nullis specialiter iuuantur, merentur specialem aliquem fructum aliunde recipere: nullus autem commodiori, & faciliori modo applicari potest, quàm ille. Et hoc multùm vrget idem *Damascenus eodem sermone* his verbis, & apertissimè: *Quòd si quis pro peregrinis, ac pauperibus, quique aliorum subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas, piasque erogationes relinquere possunt: an quia istis opibus destituuntur, exterasq; regiones incolunt, nulloque loco, ac numero censentur, nec habent qui laboris socios sese illis adiungant, propterea salutem non assequuntur? Iniquitas ergò in Deum cadet, siquidem habenti daturus est non autem habenti nihil tribuet? Apagesis istud, quisquis ex ipso es. Iustus est enim Deus, ac Dominus, imò vt verius loquar, Iustitia ipsa, & sapientia, & bonitas, & potentia vera, ac per se consistens. Quocircà pro suâ iustitiâ pauperi, ac rerum omnium inopiâ laborantis copias amplissimas rependet: pro suâ sapientiâ id aget, vt ea quæ ipsi desunt, permutatione suppleantur.*

13 Difficultas autem hîc oritur, quomodo satisfactiones illæ applicentur animabus

animabus indigentibus, & derelictis: an scilicet Deus ex misericordia solâ suâ voluntate id præstet, vel aliâ ratione id fiat. Puto igitur Deum solâ suâ voluntate applicationem illam non facere, quia in huiusmodi habet solùm rationem causæ vniuersalis, quæ proinde determinari debet ad effectum per causam particularem; ideoque meliùs dicendum est Deum ad satisfactiones illas applicandas alijs, determinari ad instar causæ vniuersalis; idque duplici capite, primò ab ipsis Beatis, quando scilicet suffragia fiunt pro animabus quæ sunt in cœlo; dici enim potest satisfactiones illas à viuis per applicationem esse donatas illis animabus quæ illas Deo annuente ex misericordiâ, animabus magis indigentibus & derelictis applicant; & hic modus videtur bonus; quia tamen non comprehendit satisfactiones applicatas damnatis, qui eas non possunt alijs applicare; ideò secundò dici potest satisfactiones illas à suffragātibus sic applicari defunctis, vt casu quo ij quibus specialiter applicant non indigeant, voluntate quâdam interpretatiuâ, aut virtuali intendant eas applicare animabus in Purgatorio magis indigentibus, & derelictis; vnde patet *lib. 1. disp. 5. q. 3.* non incongruè assignatam fuisse distinctionem inter fructum applicatum sine effectu viuis, & defunctis, in hoc quòd applicatus viuis sine effectu, redeat ad operantem: applicatus verò defunctis, prosit alijs indigentibus, idque ob compassionem, & indigentiam animarum, virtute cuius censentur fideles habere prædictā intentionem interpretatiuam aut virtualem. *Qualiter id fiat.*

DVBIVM QVINTVM.

An suffragia Ecclesiæ communia magis prosint animabus Purgatorij quæ magis meruerunt?

Bonauentura *in 4. d. 45. a. 2. q. 3.* docet suffragia quæ specialiter fiunt pro aliquo defuncto, ei magis prodesse pro quo fiunt; suffragia verò communia magis prodesse ei qui magis meruit vt sibi prodessent. idem repetit *in compend. o Theologicæ veritatis lib. 7. cap. 5.* idem docet *Caietanus tom. 1. tract. 18. q. 5.* non solùm de communibus, sed etiam de specialibus suffragijs. Per meritum autem intelligit *Caietanus* vt suprà dictum est, deuotionem in vitâ præhabitam erga defunctos, curam satisfaciendi pro suis peccatis &c. puto tamen meritum illud non solùm attendi ex dictis conditionibus *Caietani*, sed etiam ex maiori chari- 14 *Quidam docent suffragia communia magis prodesse defunctis qui magis meruerunt.*

tate animarum, vt innuit *Magister eâdem dist.* 45. & earum maiori indigentia, vt docet *Bonauentura suprà*. ita vt illæ dicantur magis meruisse quæ vel affectæ fuerunt erga defunctos dum viuerent, vel studuerunt satisfacere pro peccatis; vel maiori præditæ sunt charitate; vel magis aliorum adiutorio indigent.

15 *Alij melius negant.* Alij tamen communiter, & meliùs docent, quòd sicut suffragia specialia illi soli prosunt cui quoad satisfactionem applicantur: ita communia indifferenter prodesse omnibus, nec vni magis quàm alteri; ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio præhabita erga defunctos, aut indigentia, aliquid hîc in re conferat; sed totum meritum consistit in sola capacitate recipiendi suffragia, quæ reperitur in omnibus animabus Purgatorij. Et hoc apertè docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 1.* vbi hac de re loquens, docet iuuamen suffragiorum non cadere directè, & simpliciter sub meritum, sed quasi sub conditione, posito scilicet quòd pro illis aliqua fiant suffragia, vel specialiter, vel in communi. Vnde conformiter ad hoc

16 *Fructus sacrificij generaliter defunctis applicatus æqualiter prodest omnibus.* Dico primò, fructus sacrificij Missæ ex opere operato applicatus generaliter omnibus animabus Purgatorij, æqualiter participatur ab omnibus, nec vna recipit ampliùs, quàm alia; siue fructus ille oriatur ex intentione generali quâ omnia sacrificia prosunt omnibus; siue ex intentione mediâ, quâ pro illis omnibus offertur sacrificium. Et de fructu orto ex intentione generali dictum est *lib. 1 disp. 1. q. 1. d. 2.* De fructu verò orto ex intentione mediâ, probatur eâdem ratione, quia fructus omnis ex opere operato applicatur viuis, & defunctis certò, infallibiliter, & ex iustitiâ, non ponentibus obicem; ergò fructus sacrificij generaliter applicatus omnibus animabus, æqualiter participabitur ab omnibus, nec magis adueniet vni, quàm alteri. Confirmatur: sacrificiũ sortitur suum effectum ex applicatione offerentis, proindeque cum offerens intendat indifferenter applicare omnibus, nec maiorem fructum velit applicari vni, quàm alteri, indifferenter etiam & æqualiter omnibus proderit, ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio erga defunctos præhabita, &c. aliquid hîc in re prosint.

17 *Idem est de suffragijs.* Idem dicendum est de fructu satisfactionis suffragiorum, applicato generaliter omnibus animabus Purgatorij, qui eodem modo æqualiter in omnes distribuitur, quia fructus ille prodest etiam certò, & infallibiliter ijs quibus applicatur; & id innuit *Adrianus quodl. 8. art. 3 litt. P.*

18 Dico secundò, fructus impetrationis ortus ex communibus suffragijs omnibus defunctis applicatis, non æqualiter prodest omnibus, sed ijs solis quibus

lis quibus Deus voluerit, & maximè ijs qui magis meruerunt modis prædictis. Et hoc modo satis probabiliter putandum est Deum compensare deuotionem in vitâ habitam erga animas Purgatorij, vt scilicet animæ illæ quæ taliter affectæ fuerunt, recipiant ex communibus suffragijs varios fructus per modum impetrationis, modis suprà explicatis; deinde vlteriùs compensat Deus hanc deuotionem, per hoc quòd sicut sollicitæ fuerunt in suffragando pro animabus in Purgatorio: ita Deus inspirat alijs vt eandem sollicitudinem pro illarum alleuiatione habeant, & citiùs liberentur; id enim rationi consentaneum est vt animæ illæ quæ in vita suâ deuotione curarunt iuuare animas Purgatorij, dum in ijsdem pœnis fuerint, per aliorum etiam curam, & deuotionem adiuuentur & idipsum plures indicant Historiæ. Denique probabile etiam est eas animas recipere fructum aliquem ex satisfactionibus quæ in alijs animabus effectum non habuerunt, quas, sicut suprà dictum est nos piè opinari posse, eas applicari alijs animabus indigentibus: ita etiam dici potest applicari in compensationem ijs animabus quæ in vitâ deuotæ fuerunt erga defunctos; de quo tamen nil est certi.

Fructus impetrationis magis prodest ijs qui magis meruerunt.

DISPVTATIO III.

De fructu Missarum priuilegiatarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propriè, Missas priuilegiatas prodesse defunctis per modum suffragij?



Ota primò per Missas priuilegiatas vltra fructum respondētem sacrificio, applicari defunctis tantum Indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ quantum requiritur ad liberationē illorum quibus applicantur, ita vt Missæ dictis Indulgentijs coniunctæ dicantur habere priuilegium liberandi animas è Purgatorio; & eatenus dicuntur priuilegiatæ. An autem certò & infallibiliter id fiat, controuertitur. ad quod prærequiritur hæc quæstio. vnde 1

2 *Indulgen ia prosūt viuis per modum absolutionis.* Nota secundò Indulgentias viuis prodesse per modum absolutionis, & iudiciariæ potestatis; ita vt quando Prælatus Ecclesiæ concedit Indulgentias, vtitur potestate sibi à Christo datâ, & tanquam iudex auctoritatiuè relaxat pœnas debitas, & ab eis absoluit, & liberat, absque aliquâ solutione ex parte debitoris: sicut enim reum punire est actus iurisdictionis in iudice, ita & eum liberum & absolutum dimittere. vnde Christus dixit Petro, *Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* per Claues autem intelligunt communiter D D. potestatem soluendi omne vinculum impediens ingressum Regni cœlorum. Tale autem est pœna temporalis debita, quæ ingressum cœli impedit, ergò Petro data est potestas eam tollendi, & ab eâ fideles liberandi absque eorum solutione, quod fit per veram absolutionem, & relaxationem à pœnâ, & patet ex his terminis quibus cõmuniter conceduntur Indulgentiæ. *Misericorditer indulgemus* Deinde si Indulgentiæ viuorũ non fierent per modum absolutionis, non requireretur iurisdictio in illos quibus applicantur; cùm igitur nullus Prælatus possit nisi fidelibus subditis concedere Indulgẽtias, patet concessionem esse verum actum iurisdictionis, & iudiciariæ potestatis, quâ subditus à pœnâ debitâ absoluitur. Aduerte tamen quòd licet
3 *Fit etiam æquiualens solutio in Indulgentijs viuorum.* Indulgentiæ viuis concedantur per modum absolutionis, non desinit tamen fieri per Prælatum Ecclesiæ vera, & æquiualens solutio, idque ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ, ab eisdem Prælatis per dictas Indulgentias dispensantur; vnde non interuenit solùm hic ratio iustitiæ vindicatiuæ, cuius est punire, & absoluere; sed etiam iustitiæ commutatiuæ, quæ in solutione æquiualẽtis consistit. & hoc oritur ex voluntate, & ordinatione Dei, qui licet maximã in omnibus nobis exhibeat misericordiam, semper tamen aliquid iustitiæ admiscet. hinc licet in Sacramentis, & sacrificio, nobis peccata, & eorum pœnæ remittantur, nunquam tamen nisi interuentu meritorum, & satisfactionum Christi; quod maximè apparet in sacramento pœnitentiæ, in quo sacerdos verè iudicialiter absoluit pœnitentem à peccatis, sic tamen vt pro illis satisfiat iustitiæ diuinæ ex meritis, & satisfactionibus Christi, & ipsius pœnitentis: ita licet Prælati Ecclesiæ conferant viuis Indulgentias per modum absolutionis iudiciariæ; non desinit tamen fieri debita solutio æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quem in hunc finem dispensant, & distribuunt ipsis fidelibus, vt sic satisfiat iustitiæ diuinæ, quæ nil impunitum, & insolutum relinquit, sed in omnibus debitam solutionem exigit.

Posito

Posito igitur, quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, vnà cum debitâ solutione ex satisfactionibus Christi, & Sãctorum: quæritur quomodo Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ illis annexæ defunctis applicentur. pro quo

Dico primò, Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ ijs annexæ non applicantur defunctis per modum absolutionis, sed tantùm per modum suffragij. est communis. 4 *Missa Priuilegiata non prosunt defunctis per modum absolutionis.*

Probatur prima pars; quia absolutio exigit iurisdictionem in eum qui absoluitur, quam non habet Pontifex in defunctos, qui sicut per mortem positi sunt extra statum viæ; ita etiam extra forum Ecclesiæ militantis; ideoque non subsunt, saltem directè, iurisdictioni eius. & confirmatur ex eo quòd Christus *Matt.* 16. dedit potestatem Petro ligandi, & soluendi super terram; quod iuxta communem explicationem denotat potestatem datã in homines viatores super terram degentes; non autem in defunctos.

Probatur secunda pars, cùm enim non prosint per modum absolutionis, necesse est applicari per modum suffragij; id est eo modo quo suffragia viuorum illis applicantur: sicut enim cùm quis defunctis applicat suffragia, vt orationes, ieiunia, &c. intendit ex satisfactionibus suis suffragijs respondentibus soluere pretium æquiualens pœnis ab ipsis soluendis in Purgatorio, & eatenus suffragia dicuntur prodesse defunctis: ita Pontifex licet non possit absoluere animas à pœna; per Missas tamen priuilegiatas, vltra fructum respondentem sacrificio ex opere operato, exhibet Deo ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones Christi, & Sanctorum, tanquã pretium & solutioné æquiualentem pœnæ remittendę. quam Deus acceptat; & eatenus dicuntur Missæ priuilegiatæ illis prodesse, per modũ suffragij. 5 *Sed per modum suffragij.*

Dico secundò, in Missis priuilegiatis, quæ applicantur defunctis per modum suffragij, interuenit actus potestatis Clauium. Patet, quia Pontifex soluit pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ; non habet autem potestatem dispensandi thesaurum, nisi virtute promissionis factæ Petro *Matt.* 16. quâ illi & eius successoribus datur potestas aperiendi cœlum; tollendo impedimenta quæ ingressum retardant, quod fit cùm eâdem auctoritate applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum ex thesauro Ecclesiæ defunctis in solutionem, & tolluntur pœnæ debitæ quæ ingressum cœlorum retardabant. vnde colligitur Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, in hoc conuenire, quòd sint simpliciter indulgentiæ, & actus potestatis Clauium, per quẽ ad remittẽdas pœnas distribuitur thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum; proindeque in vtrisquę fit solutio 6 *In Missis priuilegiatis respectu defunctorum interuenit actus potestatis Clauium.*

 æquiua-

æquiualentis, & reperitur iustitia commutatiua. Differunt autem in hoc quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, per actum iudiciariæ potestatis, quo Pontifex immediatè remittit pœnam tanquam minister Dei, & locum eius tenens, soluendo vlteriùs pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ. In Indulgentijs verò quæ applicantur defunctis per modum suffragij, Pontifex non remittit auctoritatiuè pœnam, cùm in illos non habeat iurisdictionem, sicut in viuos, sed exhibet Deo pretium æquiualens ex thesauro, & Deus ipsos absoluit à pœnâ; vnde Indulgentiæ viuorum includunt actum iustitiæ vindicatiuę, & commutatiuæ, defunctorum verò, solùm commutatiuæ. Si quis autem quærat cur Pontifices in suis bullis tam accuratè explicent, se concedere defunctis Indulgentias per modũ suffragij, cùm differentia assignata nil mutet in effectu, sed eundem effectum pariant Indulgentiæ viuorum, & defunctorum? Respondetur id facere vt ostendant se non abuti potestate sibi traditâ, nec velle iuuare defunctos tanquam sibi subditos, sed tanquam sibi charitate coniunctos, & indigentes, quibus subuenire possunt per dispensationem thesauri Ecclesiæ, eorum commissioni relictam.

Reijcitur differentia quorũdam inter Indulgentias viuorum & mortuorum.

7 Aduerte quosdam assignare aliam differentiam inter Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, quòd in viuis habeant effectum infallibilem, cùm concedantur per veram absolutionem, & actum iudiciariæ potestatis: in defunctis verò, quæ solùm per modum suffragij applicantur, effectus omninò non sit infallibilis, sed pendens ex liberali acceptatione Dei, qui exhibitum pretium æquiualens ex thesauro acceptat, & absoluit defunctos à pœnâ pro libitu. Sed hæc differentia non placet, & puto Indulgentias æquè infallibiliter habere effectum in defunctis ac viuis, positis quibusdam conditionibus, proindeque Missas priuilegiatas certò liberare animas è Purgatorio, quod quæstione sequenti dicetur; vnde sit

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An Missa Priuilegiata certò, & infallibiliter liberet animam è Purgatorio?



Quidam volunt Missam Priuilegiatam non habere effectū infallibilē.

CAietanus *lib. 1. tract. 18. q. 5.* docet non solùm suffragia, sed & 1
Indulgentias non applicari certò, & infallibiliter defunctis, sed ex mera Dei liberalitate, qui pro ijs quibus voluerit acceptat; ad quod requirit quasdam cõditiones in ipsis animabus, v. g. quòd fuerint in vita affectæ erga Claues Ecclesiæ, &c. Eum sequitur *Corduba lib. de Indulgentijs q. 15. Henriquez lib. 7. cap. 7.* Probari potest hæc sententia primò, ex eo quòd Indulgentiæ prosunt solùm defunctis per modum suffragij, quod dicit solam solutionem æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quam Deus ex merâ liberalitate acceptat, cùm voluerit, vt constat ex similitudine *Caietani*: sicut enim si Princeps aliquis ex ærario publico vellet liberare ciues suos ære alieno oppressos, quorũ aliqui in terris sui Dominij, alii in alieno Dominio seruituti addicti sunt: in hoc casu Princeps hic propriâ auctoritate, ex ærario publico pretiũ æquiualens pro singulis illorum solueret; cum hâc tamen differentia, quòd vlteriùs eos qui in terris sui Dominii essent, iudicialiter absolueret à debito, alios verò sub alterius Dominio detentos, absoluere non posset, sed exhibitâ pecuniâ alterius Principis gratiam, & absolutionem deberet exspectare: sic Pontifex viuis, & defunctis Ecclesiæ thesaurum per Indulgentias dispensat; & debitam solutionem exhibet; & vlteriùs viuos iudicialiter absoluit; quoad defunctos verò, pretium exhibendo, gratuitam Dei acceptationem exspectat, cuius est eos pro libitu absoluere, & pretium exhibitum acceptare, sicque Indulgentiæ defunctorum non sunt infallibiles.

Secundò, nulla suffragia applicata defunctis habent certitudinem, & infallibilitatem, cùm nulla sit lex aut promissio diuina illa acceptandi; cùm igitur Indulgentię prosint defunctis per modum suffragij, nec sit etiam de illis lex aut promissio aliqua; non proderunt etiam infallibiliter.

Tertiò, ex *Augustino* sæpiùs suprà relato, *Enchirid. cap. 109.* & alijs locis, vbi dicit suffragia, proindeque & Indulgentias ijs defunctis prodesse, qui in vitâ meruerunt vt hæc sibi prodesse possent post mortem. quod meritum ponit *Caietanus* in deuotione erga Claues Ecclesię, &c. ita vt solis illis defunctis

defunctis Indulgentiæ efficaciter prosint; & super hac auctoritate *Augustini* maximè suam sententiam fundant *Caietanus*, *Corduba*, & alij.

2 Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, & sequenda, Indulgentias scilicet, proindeque Missas Priuilegiatas æquè certò, ac infallibiliter prodesse animabus Purgatorij, ac ipsis viuentibus; ita vt positis certis conditionibus per prædictas Missas infallibiliter animæ liberētur è Purgatorio. ita expressè *Nauarrus de Indulgentijs notab. 22. Sotus in 4. d. 21. q. 2. a. 3. Valent. disp. 7. q. 20. p. 5. Suarez disp. 53. sect. 3. Nugnus q. 26. a. 1. diff. 3 Coninck disp. 12. d. 11. Filliucius tract. 8. cap. 8. quæst. 6. concl. 2. Mercerus q. 26. dist. 2. &c.* Eandem sentētiam docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2 art. 3. quæst. 2.* cùm dicit Indulgentias ita prodesse mortuis, sicut viuis, positâ formâ sufficiente illarum; & ad hoc vt Indulgentiæ habeant effectum, nil requirit, nisi causam sufficientem eas concedendi; hæcque à pluribus vocatur communis.

Alij melius docent habere effectum infallibilem positis certis cōditionibus

3 Probatur primò ex dictis, hoc *lib. disp. 2. q. 2. d. 1. & 2.* vbi probatum est sacrificia, & suffragia prodesse certò, & infallibiliter animabus Purgatorij quibus applicantur; ex quo à potiori colligi potest, Indulgentias ijsdem applicatas infallibiliter effectum consequi, cùm maior sit ratio in Indulgentijs, quàm suffragijs: applicatio enim satisfactionis suffragiorum fit à priuatis offerentibus propriam satisfactionem in solutionem pœnæ ipsarum animarum: applicatio verò Indulgentiarum fit per Pontificem publicâ auctoritate ex communi thesauro Ecclesiæ, cuius dispensatio sic ei à Christo commissa est, vt etiam promiserit se acceptaturum in solutionem satisfactiones thesauri alijs applicatas. & hoc *Matt 16. Et tibi dabo claues Regni cælorum*; cùm enim illis verbis contineatur potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, contineri etiam debet promissio acceptandi hanc dispensationē, aliàs non diceretur Pontifex habere Claues Regni cœlorum, quia non esset in eius potestate illud aperire, & tollere impedimenta per dispensationem thesauri, sed solùm quando Deo placuerit eam dispensationem acceptare; cùm igitur potestas illa dicat aliquid certi, certa etiam erit, & infallibilis dispensatio thesauri per Indulgentias, tam in defunctis, quàm viuis, cùm in vtrisque per potestatē Clauium fiat hæc dispensatio; Clauis autem semper aperit, si non erret, id est si rationabilis sit illius vsus, aliàs esset inepta. Alij eandem promissionem probant ex his verbis sequentibus. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* vt sensus huic rei accommodatus sit: quodcumque per dispensationem thesauri ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum solueris super terram; erit & acceptabitur tanquam ex proprijs solutum in cœlis.

Datur promissio acceptandi indulgentias pro defunctis.

4 Probatur secundò, ex formâ quâ vtuntur Pontifices concedendo priuilegium

uilegium Missarum Priuilegiatarum cuidam Ecclesiæ, vel altari; sic enim habet Vrbanus VIII. in priuilegio pluribus nostris Conuentibus dato: vt *quandocumque sacerdos aliquis Minimorum Ecclesiæ Missam defunctorum pro animâ cuiuscumque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hâc luce migrauerit ad (præfatum) altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij indulgentiam consequatur; ita vt eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, è Purgatorij pœnis liberetur concedimus, & indulgemus.* Loquitur igitur Pontifex non de re pendente ex acceptatione diuinâ; sed tanquam de re certâ, & infallibili; nec alijs terminis certioribus vtitur concedendo viuis Indulgentias, quas constat esse infallibiles. Deinde Leo X. epistolâ ad *Caietanum* eâdem certitudine loquitur de Indulgentijs viuorum, & defunctorum; dicit enim Romanam Ecclesiam tradidisse Romanum Pontificem Petri Clauigeri successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium *potestate clauium, quarum est aperire regnum cœlorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate iungente sunt membra Christi, siue in hac vita sint, siue in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum, & tam pro viuis, quàm pro defunctis Apostolicâ auctoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse, ac propterea omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint; à tantâ pœnâ temporali, secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debitâ liberari, quanta concessa & acquisita Indulgentia æquiualet.* In quibus verbis notandum est Pontificem indifferenter loqui de viuis, & defunctis; & tanquam de re certâ loquens docere eos omnes liberari à tantâ pœnâ, quantam sonant Indulgentiæ: idque fieri Apostolicâ auctoritate: Omnis autem dispensatio quæ fit auctoritate Apostolicâ, licet ius ipsum diuinum aliquo modo attingat, vt est dispensatio in voto, valida est, si ex rationabili causa fiat: ex quo ex consequenti sequitur dispensationem thesauri viuis, & defunctis, quæ auctoritate Apostolicâ fit, si ex rationabili causa fiat, esse validam, certam, & infallibilem.

Probatur tertiò, ex definitione Concilij Constantiensis docentis contra Wicleff, erroneum esse negare valorem Indulgentiarum; ergò ex mente Ecclesiæ sic valent Indulgentiæ viuis, & defunctis, vt certò, & infallibiliter in illis effectum habeant, idque ratione prædictæ promissionis diuinæ. Respondet *Corduba suprà*, Indulgentias esse quidem certas in defunctis, sicut in viuis; non valere tamen infallibiliter quoad totum fructum 5

Reijcitur responsio Cordubæ.

in defunctis, sicut in viuis; quia Deus promisit eas acceptare pro viuis quoad totum effectum, pro defunctis verò solùm secundùm quod visum fuerit decens suæ liberalitati. Sed contrà, saltem in eius sententia requiritur promissio diuina acceptandi Indulgentias pro defunctis quoad aliqualem effectum, sic vt certò aliquis fructus Indulgentiarum eis applicetur. Quæro igitur vnde collegerit promissionem hanc diuinam quoad aliquem effectum, & non quoad totum; si enim Deus promisit acceptationem Indulgentiarum pro viuis quoad totum effectum; item si promisit acceptationē pro defunctis, non potest colligi non promisisse etiam quoad totum effectum, cùm promissio illa in vtrisque colligatur ex prædictis verbis *Matt.* 16. in quibus nulla fit discretio viuorum, & defunctorum.

Indulgentiæ tãtum valēt quantum sonant in viuis, & defunctis.

6 Probatur quartò, Indulgentiæ ex mente Ecclesiæ & D D. tantum valent, quantum sonant, in defunctis æquè ac viuentibus; ergò quoad totum effectum illis certò, & infallibiliter applicantur; aliàs, non quantum sonarit, sed quantum liberalitati, & misericordiæ diuinæ visum fuerit, valerent. Nec placet responsio Cordubæ, Indulgentias in defunctis æquè ac viuis valere quantum sonant, quantum estde se, quia si adsint omnia requisita in defunctis ad recipiēdum fructum totalem, certò totum illarum fructum recipient; inter conditiones verò requirit quòd in vita id meruerint modis prædictis. Non placet inquam hæc responsio, quia nullo fundamento requirit plures conditiones in defunctis, quàm in viuis; si enim tantum valent, quantum sonant in viuis absque exigentiâ alicuius meriti specialis, supposito solùm statu gratiæ; cur idem status gratiæ non sufficeret etiam in defunctis, absque speciali aliquo merito quod præcessit in vitâ, cùm per eandem potestatem Clauium fiat dispensatio thesauri viuis, & defunctis, cum hâc solâ differentiâ, quòd viui cum exhibitione æquiualentis ex thesauro, etiam absoluantur à Pontifice; pro defunctis verò fit sola exhibitio æquiualentis, cum promissione tamen eam solutionem acceptandi, vt dictum est. Cùm igitur eodem modo per actum potestatis Clauium conferantur Indulgentiæ viuis, & defunctis, non est ratio exigendi maiorem dispositionem in defunctis, quàm viuis; & ideò maximè, quia Auctores primæ sententiæ qui in defunctis ad infallibilitatem Indulgentiarum requirunt meritum aliquod, puta deuotionem in vitâ præhabitam erga Claues Ecclesiæ, &c. fundantur principaliter in verbis *Augustini Enchirid. cap.* 109. malè intellectis, quæ longè alio sensu intelligi debere dictum est hoc *lib. disp.* 2. *q.* 1. *d.* 1. sicque corruit primarium eorum fundamentum, & nostra sententia longè manet probabilior.

Reijcitur explicatio Cordubæ.

Non solùm Missa Priuilegiata, sed & omnes aliæ Indulgentiæ applicatæ defunctis habent eandem infallibilitatē.

7

8 Sententia autem hæc non solùm intelligenda est de Missis Priuilegiatis, seu-

Conditiones requisitæ ad infallibilitatem Indulgentiarũ in defũctis.

seu Indulgentijs illis annexis, sed de omnibus alijs Indulgentijs quæ quomodolibet defunctis applicari possunt; vt sunt affixæ Medalijs, visitationibus Ecclesiarum, &c. ita vt sicut sacerdos dicendo Missam Priuilegiatam pro defuncto, illum infallibiliter liberat è Purgatorio: ita & sæcularis communicando cum Medaliâ si talis Indulgentia ei appensa sit. Aduerte tamen Indulgentias applicatas defunctis non esse ita infallibiles, quin requirantur ad id quædam conditiones; nam primò requiritur causa sufficiens ad tantam Indulgentiam concedendam, & lucrandam; defectu cuius non proderit neque viuis, neque defunctis quoad totum suum effectum. Secundò, vt per viuos fiat id quod requiritur ad applicãdam Indulgentiam defunctis; non requiritur tamen vt viui opus iniunctũ exequentes sint in gratiâ; vnde sæcularis in mortali cõmunicans cum Medaliâ pro defuncto, non impediet effectum Indulgentiæ, sicut nec sacerdos pro eodem in mortali celebrans. Alij contrariæ sententiæ requirunt vltra quòd applicationem Indulgentiæ meruerit in vitâ; sed hoc satis refutatum est. 8

Nec ex nostrâ sẽtẽtia sequitur quod nobis obijciunt aduersarij, per illam scilicet impediri fideles ad frequentandas, & multiplicandas Indulgentias pro defunctis, & excitari ad omittendas preces pro illis, quia positâ semel applicatione Indulgentiæ plenariæ pro parente meo, scio ipsum infallibiliter liberandum è Purgatorio; hoc inquam non sequitur, tum ob conditiones iam datas, quæ sæpè rem dubiã relinquunt; tum etiam, quia licet sententiam hanc doceamus, res tamen non est ita certa, quin detur formido de opposito, cùm plures contrarium censeant; ad summum igitur sententiam probabilem asserimus, quæ sicut nil mutat in re ipsâ, ita non facit rem omninò certam, & indubitatam; sicque omnibus consulo vt non obstante hâc nostrâ sententiâ, deuotè frequentent, & multiplicent Indulgentias pro defunctis, & Missas Priuilegiatas, ne fortè sententia hæc, licet valdè probabilis, vera non sit, & in diuino iudicio aliter se res habeat, sicque animæ Purgatorij maximum inde detrimentum patiantur.

Quoad rationes primæ sententiæ, satis solutæ manent ex omnibus suprà dictis. 9

Cõmuniter in Missis priuilegiatis nõ solùm indulgentia, sed & sacrificiũ applicari debet defũcto.

Quæri hîc potest, an ad applicandas Indulgentias Missæ Priuilegiatæ, opus sit fructum etiam sacrificij illi applicare; vel sufficiat fructum sibi reseruando Missam celebrare ex intentione, & voluntate obtinendi illi Indulgentias? Respondeo, communiter vtrumque requiri, & hæc per modum vnius & eiusdem defuncto applicari, quia cùm Pontifex concedit Indulgentias ad liberandam animam è Purgatorio dicendo Missam in tali altari, vel Ecclesiâ, videtur consequenter exigere vt sacrificium eidem ani-

DVBIVM QVARTVM.

An cùm sacrificia, & suffragia non habent effectum in defuncto cui applicantur, puta quia sit in cœlo, vel in inferno, applicentur ex misericordia animabus indigentibus, & derelictis?

12 *Credibile est fructum applicatum ijs qui non indigent, applicari alijs indigẽtibus.*



R Espondeo credibile esse, fructum sacrificiorum, & suffragiorum applicatum ijs in quibus non habet effectum, vel quia sint in cœlo, vel in inferno, ex diuinâ misericordiâ alijs indigentibus applicari pro quibus non fiunt suffragia. ita *D. Thomas suprà quæst.* 3. *ad* 2. cum sequuntur *Adrianus quodl.* 8. *a.* 3. *Corduba l.* 1. *q.* 3. *opin.* 5. §. *& de residuo Fraxinell. sect.* 3. §. 11. *n.* 3. *&c.* Probat *D. Thomas ex Damascen. sermone de dormientibus*, vbi ait: *Deus tanquam iustus commetietur impotenti possibilitatem, tanquam suscipiens verè defectum, commutationem negotiabitur*, & hanc negotiationem in hoc consistere docet *D. Thomas*, vt quod deest vni, alter suppleat. hoc enim licet non sit certum, est tamen rationi satis congruum maximè de fructu satisfactionis respondente suffragijs viuorum; tum ne satisfactiones illæ priuentur suo fructu, quo tamen tam multæ animæ in Purgatorio indigent; tum etiam quia animæ illæ derelictæ quæ à nullis specialiter iuuantur, merentur specialem aliquem fructum aliunde recipere: nullus autem commodiori, & faciliori modo applicari potest, quàm ille. Et hoc multùm vrget idem *Damascenus eodem sermone* his verbis, & optimè: *Quòd si quis pro peregrinis, ac pauperibus, quique aliorum subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas, piasque erogationes relinquere possunt: an quia isti opibus destituuntur, exterasq́ regiones incolunt, nulloque loco, ac numero censentur, nec habent qui laboris socios, sese illis adiungant, propterea salutem non assequentur? Iniquitas ergò in Deum cadet, siquidem habenti daturus est non autem habenti nihil tribuet? Apage sis istud, quisquis ex ipso es. Iustus est enim Deus, ac Dominus, immò vt verius loquar, Iustitia ipsa, & sapientia, & bonitas, & potentia vera, ac per se consistens. Quocircà pro suâ iustitiâ pauperi, ac rerum omnium inopiâ laboranti copias amplissimas rependet: pro suâ sapientiâ id aget, vt ea quæ ipsi desunt, permutatione suppleantur.*

13 Difficultas autem hìc oritur, quomodo satisfactiones illæ applicentur

animabus

animabus indigentibus, & derelictis: an scilicet Deus ex misericordia solâ sua voluntate id præstet, vel aliâ ratione id fiat. Puto igitur Deum solâ suâ voluntate applicationem illam non facere, quia in huiusmodi habet solùm rationem causæ vniuersalis, quæ proinde determinari debet ad effectum per causam particularem; ideoque meliùs dicendum est Deum ad satisfactiones illas applicandas alijs, determinari ad instar causæ vniuersalis; idque duplici capite, primò ab ipsis Beatis, quando scilicet suffragia fiunt pro animabus quæ sunt in cœlo; dici enim potest satisfactiones illas à viuis per applicationem esse donatas illis animabus quæ illas Deo annuente ex misericordiâ, animabus magis indigentibus & derelictis applicant; & hic modus videtur bonus; quia tamen non comprehendit satisfactiones applicatas damnatis, qui eas non possunt alijs applicare; ideò secundò dici potest satisfactiones illas à suffragātibus sic applicari defunctis, vt casu quo ij quibus specialiter applicant non indigeant, voluntate quâdam interpretatiuâ, aut virtuali intendant eas applicare animabus in Purgatorio magis indigentibus, & derelictis; vnde patet *lib. 1. disp 5. q. 3.* non incongruè assignatam fuisse distinctionem inter fructum applicatum sine effectu viuis, & defunctis, in hoc quòd applicatus viuis sine effectu, redeat ad operantem: applicatus verò defunctis, prosit alijs indigentibus, idque ob compassionem, & indigentiam animarum, virtute cuius censentur fideles habere prædictā intentionem interpretatiuam aut virtualem. *Qualiter id fiat.*

DVBIVM QVINTVM.

An suffragia Ecclesiæ communia magis prosint animabus Purgatorij quæ magis meruerunt?

Bonauentura *in 4. d. 45. a. 2. q. 3.* docet suffragia quæ specialiter fiunt pro aliquo defuncto, ei magis prodesse pro quo fiunt; suffragia verò communia magis prodesse ei qui magis meruit vt sibi prodessent. idem repetit *in compend.o Theologicæ veritatis lib. 7. cap. 5.* idem docet *Caietanus tom. 1. tract. 18. q. 5.* non solùm de communibus, sed etiam de specialibus suffragijs. Per meritum autem intelligit *Caietanus* vt suprà dictum est, deuotionem in vitâ præhabitam erga defunctos, curam satisfaciendi pro suis peccatis &c. puto tamen meritum illud non solùm attendi ex dictis conditionibus *Caietani*, sed etiam ex maiori chari- 14 *Quidam docent suffragia communia magis prodesse defunctis qui magis meruerunt.*

tate animarum, vt innuit *Magister eâdem dist.* 45. & earum maiori indigentia, vt docet *Bonauentura suprà*. ita vt illæ dicãtur magis meruisse quæ vel affectæ fuerunt erga defunctos dum viuerent, vel studuerunt satisfacere pro peccatis; vel maiori præditæ sunt charitate; vel magis aliorum adiutorio indigent.

15 *Alij meliùs negant.* Alij tamen communiter, & meliùs docent, quòd sicut suffragia specialia illi soli prosunt cui quoad satisfactionem applicantur: ita communia indifferenter prodesse omnibus, nec vni magis quàm alteri; ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio præhabita erga defunctos, aut indigentia, aliquid hâc in re conferat; sed totum meritum consistit in solâ capacitate recipiendi suffragia, quæ reperitur in omnibus animabus Purgatorij. Et hoc apertè docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 1.* vbi hac de re loquens, docet iuuamen suffragiorum non cadere directè, & simpliciter sub meritum, sed quasi sub conditione, posito scilicet quòd pro illis aliqua fiant suffragia, vel specialiter, vel in communi. Vnde conformiter ad hoc

16 *Fructus sacrificij generaliter defunctis applicatus æqualiter prodest omnibus.* Dico primò, fructus sacrificij Missæ ex opere operato applicatus generaliter omnibus animabus Purgatorij, æqualiter participatur ab omnibus, nec vna recipit ampliùs, quàm alia; siue fructus ille oriatur ex intentione generali quâ omnia sacrificia prosunt omnibus; siue ex intentione mediâ, quâ pro illis omnibus offertur sacrificium. Et de fructu orto ex intentione generali dictum est *lib.1 disp.1. q. 1. d.2.* De fructu verò orto ex intentione mediâ, probatur eâdem ratione, quia fructus omnis ex opere operato applicatur viuis, & defunctis certò, infallibiliter, & ex iustitiâ, non ponentibus obicem; ergò fructus sacrificij generaliter applicatus omnibus animabus, æqualiter participabitur ab omnibus, nec magis adueniet vni, quàm alteri. Confirmatur: sacrificiũ sortitur suum effectum ex applicatione offerentis, proindeque cum offerens intendat indifferenter applicare omnibus, nec maiorem fructum velit applicari vni, quàm alteri, indifferenter etiam & æqualiter omnibus proderit, ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio erga defunctos præhabita, &c. aliquid hâc in re prosint.

17 *Idem est de suffragijs.* Idem dicendum est de fructu satisfactionis suffragiorum, applicato generaliter omnibus animabus Purgatorij, qui eodem modo æqualiter in omnes distribuitur, quia fructus ille prodest etiam certò, & infallibiliter ijs quibus applicatur; & id innuit *Adrianus quodl. 8. art. 3 litt. P.*

18 Dico secundò, fructus impetrationis ortus ex communibus suffragijs omnibus defunctis applicatis, non æqualiter prodest omnibus, sed ijs solis quibus

lis quibus Deus voluerit, & maximè ijs qui magis meruerunt modis prædictis. Et hoc modo satis probabiliter putandum est Deum compensare deuotionem in vitâ habitam erga animas Purgatorij, vt scilicet animæ illæ quæ taliter affectæ fuerunt, recipiant ex communibus suffragijs varios fructus per modum impetrationis, modis suprà explicatis; deinde vlteriùs compensat Deus hanc deuotionem, per hoc quòd sicut sollicitæ fuerunt in suffragando pro animabus in Purgatorio: ita Deus inspirat alijs vt eandem sollicitudinem pro illarum alleuiatione habeant, & citiùs liberentur; id enim rationi consentaneum est vt animæ illæ quæ in vita suâ deuotione curarunt iuuare animas Purgatorij, dum in ijsdem pœnis fuerint, per aliorum etiam curam, & deuotionem adiuuentur & idipsum plures indicant Historiæ. Denique probabile etiam est eas animas recipere fructum aliquem ex satisfactionibus quæ in alijs animabus effectum non habuerunt, quas, sicut suprà dictum est nos piè opinari posse, eas applicari alijs animabus indigentibus: ita etiam dici potest applicari in compensationem ijs animabus quæ in vitâ deuotæ fuerunt erga defunctos; de quo tamen nil est certi.

Fructus impetrationis magis prodest ijs qui magis meruerunt.

DISPVTATIO III.

De fructu Missarum priuilegiatarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propriè, Missas priuilegiatas prodesse defunctis per modum suffragij?

NOta primò per Missas priuilegiatas vltra fructum respondētem sacrificio, applicari defunctis tantum Indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ quantum requiritur ad liberationē illorum quibus applicantur, ita vt Missæ dictis Indulgentijs coniunctæ dicantur habere priuilegium liberandi animas è Purgatorio; & eatenus dicuntur priuilegiatæ. An autem certò & infallibiliter id fiat, controuertitur. ad quod prærequiritur hæc quæstio. vnde 1

2 Indulgen. ia prosunt viuis per modum absolutionis.

Nota secundò Indulgentias viuis prodesse per modum absolutionis, & iudiciariæ potestatis; ita vt quando Prælatus Ecclesiæ concedit Indulgentias, vtitur potestate sibi à Christo datâ, & tanquam iudex auctoritatiuè relaxat pœnas debitas, & ab eis absoluit, & liberat, absque aliquâ solutione ex parte debitoris: sicut enim reum punire est actus iurisdictionis in iudice, ita & eum liberum & absolutum dimittere. vnde Christus dixit Petro, *Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* per Claues autem intelligunt communiter D D. potestatem soluendi omne vinculum impediens ingressum Regni cœlorum. Tale autem est pœna temporalis debita, quæ ingressum cœli impedit, ergò Petro data est potestas eam tollendi, & ab eâ fideles liberandi absque eorum solutione, quod fit per veram absolutionem, & relaxationem à pœnâ, & patet ex his terminis quibus cõmuniter conceduntur Indulgentiæ. *Misericorditer indulgemus* Deinde si Indulgentiæ viuorũ non fierent per modum absolutionis, non requireretur iurisdictio in illos quibus applicantur; cùm igitur nullus Prælatus possit nisi fidelibus subditis concedere Indulgẽtias, patet concessionem esse verum actum iurisdictionis, & iudiciariæ potestatis, quâ subditus à pœnâ debitâ absoluitur. Aduerte tamen quòd licet Indulgentiæ viuis concedantur per modum absolutionis, non desinit tamen fieri per Prælatum Ecclesiæ vera, & æquiualens solutio, idque ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ, ab eisdem Prælatis per dictas Indulgẽtias dispensantur; vnde non interuenit solùm hic ratio iustitiæ vindicatiuæ, cuius est punire, & absoluere; sed etiam iustitiæ commutatiuæ, quæ in solutione æquiualẽtis consistit, & hoc oritur ex voluntate, & ordinatione Dei, qui licet maximã in omnibus nobis exhibeat misericordiam, semper tamen aliquid iustitiæ admiscet. hinc licet in Sacramentis, & sacrificio, nobis peccata, & eorum pœnæ remittantur, nunquam tamen nisi interuentu meritorum, & satisfactionum Christi; quod maximè apparet in sacramento pœnitentiæ, in quo sacerdos verè iudicialiter absoluit pœnitentem à peccatis, sic tamen vt pro illis satisfiat iustitiæ diuinæ ex meritis, & satisfactionibus Christi, & ipsius pœnitentis: ita licet Prælati Ecclesiæ conferant viuis Indulgentias per modum absolutionis iudiciariæ; non desinit tamen fieri debita solutio æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quem in hunc finem dispensant, & distribuunt ipsis fidelibus, vt sic satisfiat iustitiæ diuinæ, quæ nil impunitum, & insolutum relinquit, sed in omnibus debitam solutionem exigit.

3 Fit etiam æquivalens solutio in Indulgentijs viuorum.

Posito

Posito igitur, quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, vnà cum debitâ solutione ex satisfactionibus Christi, & Sáctorum: quæritur quomodo Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ illis annexæ defunctis applicentur. pro quo

Dico primò, Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ ijs annexæ non appli-
cantur defunctis per modum absolutionis, sed tantùm per modum suf- 4
fragij. est communis.

Missa Priuilegiata non prosunt defunctis per modum absolutionis.

Probatur prima pars; quia absolutio exigit iurisdictionem in eum qui absoluitur, quam non habet Pontifex in defunctos, qui sicut per mortem positi sunt extra statum viæ, ita etiam extra forum Ecclesiæ militantis; ideoque non subsunt, saltem directè, iurisdictioni eius. & confirmatur ex eo quòd Christus *Matt.* 16. dedit potestatem Petro ligandi, & soluendi super terram; quod iuxta communem explicationem denotat potestatem datã in homines viatores super terram degentes; non autem in defunctos.

Probatur secunda pars, cùm enim non prosint per modum absolutio-
nis, necesse est applicari per modum suffragij; id est eo modo quo suffra- 5
gia viuorum illis applicantur: sicut enim cùm quis defunctis applicat suffragia, vt orationes, ieiunia, &c. intendit ex satisfactionibus suis suffragijs respondentibus soluere pretium æquiualens pœnis ab ipsis soluendis in Purgatorio, & eatenus suffragia dicuntur prodesse defunctis: ita Pontifex licet non possit absoluere animas à pœnã; per Missas tamen priuilegiatas, vltra fructum respondentem sacrificio ex opere operato, exhibet Deo ex thesauro Ecclesię satisfactiones Christi, & Sanctorum, tanquã pretium & solutionẽ æquiualentem pœnæ remittendę. quam Deus acceptat; & eatenus dicuntur Missæ priuilegiatæ illis prodesse, per modũ suffragij.

Sed per modum suffragij.

Dico secundò, in Missis priuilegiatis, quæ applicantur defunctis per 6
modum suffragij, interuenit actus potestatis Clauium. Patet, quia Pontifex soluit pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ; non habet autem potestatem dispensandi thesaurum, nisi virtute promissionis factæ Petro *Matt.* 16. quã illi & eius successoribus datur potestas aperiendi cœlum; tollendo impedimenta quæ ingressum retardant, quod fit cùm eâdem auctoritate applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum ex thesauro Ecclesiæ defunctis in solutionem, & tolluntur pœnæ debitæ quæ ingressum cœlorum retardabant. vnde colligitur Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, in hoc conuenire, quòd sint simpliciter indulgentiæ, & actus potestatis Clauium, per quẽ ad remittẽdas pœnas distribuitur thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum; proindeque in vtrisquę fit solutio æquiua-

In Missis priuilegiatis respectu defunctorum interuenit actus potestatis Clauium.

æquiualentis, & reperitur iustitia commutatiua. Differunt autem in hoc quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, per actum iudiciariæ potestatis, quo Pontifex immediatè remittit pœnam tanquam minister Dei, & locum eius tenens, soluendo vlteriùs pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ. In Indulgentijs verò quæ applicantur defunctis per modum suffragij, Pontifex non remittit auctoritatiuè pœnam, cùm in illos non habeat iurisdictionem, sicut in viuos, sed exhibet Deo pretium æquiualens ex thesauro, & Deus ipsos absoluit à pœnâ; vnde Indulgentiæ viuorum includunt actum iustitiæ vindicatiuę, & commutatiuæ, defunctorum verò, solùm commutatiuæ. Si quis autem quærat cur Pontifices in suis bullis tam accuratè explicent, se concedere defunctis Indulgentias per modũ suffragij, cùm differentia assignata nil mutet in effectu, sed eundem effectum pariant Indulgentiæ viuorum, & defunctorum? Respondetur id facere vt ostendant se non abuti potestate sibi traditâ, nec velle iuuare defunctos tanquam sibi subditos, sed tanquam sibi charitate coniunctos, & indigentes, quibus subuenire possunt per dispensationem thesauri Ecclesiæ, eorum commissioni relictam.

Reijcitur differentia quorũdam inter Indulgentias viuorum & mortuorum.

7 Aduerte quosdam assignare aliam differentiam inter Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, quòd in viuis habeant effectum infallibilem, cùm concedantur per veram absolutionem, & actum iudiciariæ potestatis: in defunctis verò, quæ solùm per modum suffragij applicantur, effectus omninò non sit infallibilis, sed pendens ex liberali acceptatione Dei, qui exhibitum pretium æquiualens ex thesauro acceptat, & absoluit defunctos à pœnâ pro libitu. Sed hæc differentia non placet, & puto Indulgentias æquè infallibiliter habere effectum in defunctis ac viuis, positis quibusdam conditionibus, proindeque Missas priuilegiatas certò liberare animas è Purgatorio, quod quæstione sequenti dicetur; vnde sit

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An Missa Priuilegiata certò, & infallibiliter liberet animam è Purgatorio?

Quidam volunt Missam Priuileg. atam non habere effectũ infallibilẽ.



C*Aietanus lib.* 1. *tract.* 18. *q.* 5. docet non solùm suffragia, sed & 1
Indulgentias non applicari certò, & infallibiliter defunctis, sed ex mera Dei liberalitate, qui pro ijs quibus voluerit acceptat; ad quod requirit quasdam cõditiones in ipsis animabus, v g. quòd fuerint in vita affectæ erga Claues Ecclesiæ, &c. Eum sequitur *Corduba lib. de Indulgentijs q* 15. *Henriquez lib.* 7. *cap.* 7. Probari potest hæc sententia primò, ex eo quòd Indulgentiæ prosunt solùm defunctis per modum suffragij, quod dicit solam solutionem æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quam Deus ex merâ liberalitate acceptat, cùm voluerit, vt constat ex similitudine *Caietani*: sicut enim si Princeps aliquis ex ærario publico vellet liberare ciues suos ære alieno oppressos, quorũ aliqui in terris sui Dominij, alii in alieno Dominio seruituti addicti sunt: in hoc casu Princeps hic propriâ auctoritate, ex ærario publico pretiũ æquiualens pro singulis illorum solueret; cum hâc tamen differentiâ, quòd vlteriùs eos qui in terris sui Dominii essent, iudicialiter absolueret à debito, alios verò sub alterius Dominio detentos, absoluere non posset, sed exhibitâ pecuniâ alterius Principis gratiam, & absolutionem deberet exspectare: sic Pontifex viuis, & defunctis Ecclesiæ thesaurum per Indulgentias dispensat; & debitam solutionem exhibet; & vlteriùs viuos iudicialiter absoluit; quoad defunctos verò, pretium exhibendo, gratuitam Dei acceptationem exspectat, cuius est eos pro libitu absoluere, & pretium exhibitum acceptare, sicque Indulgentiæ defunctorum non sunt infallibiles.

Secundò, nulla suffragia applicata defunctis habent certitudinem, & infallibilitatem, cùm nulla sit lex aut promissio diuina illa acceptandi; cùm igitur Indulgentię prosint defunctis per modum suffragij, nec sit etiam de illis lex aut promissio aliqua; non proderunt etiam infallibiliter.

Tertiò, ex *Augustino* sæpiùs suprà relato, *Enchirid. cap.* 109. & alijs locis, vbi dicit suffragia, proindeque & Indulgentias ijs defunctis prodesse, qui in vitâ meruerunt vt hæc sibi prodesse possent post mortem. quod meritum ponit *Caietanus* in deuotione erga Claues Ecclesię, &c. ita vt solis illis

defunctis

defunctis Indulgentiæ efficaciter prosint; & super hac auctoritate *Augustini* maximè suam sententiam fundant *Caietanus*, *Corduba*, & alij.

2 Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, & sequenda, Indulgentias scilicet, proindeque Missas Priuilegiatas æquè certò, ac infallibiliter prodesse animabus Purgatorij, ac ipsis viuentibus; ita vt positis certis conditionibus per prædictas Missas infallibiliter animæ liberētur è Purgatorio. ita expressè *Nauarrus de Indulgentijs notab. 22. Sotus in 4. d. 21. q. 2. a. 3. Valent. disp. 7. q. 20. p. 5. Suarez disp. 53. sect. 3. Nugnus q. 26. a. 1. diff. 3 Coninck disp. 12. d. 11. Filliucius tract. 8. cap. 8. quæst. 6. concl. 2. Mercerus q. 26. dist. 2. &c.* Eandem sentētiam docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2 art. 3. quæst. 2.* cùm dicit Indulgentias ita prodesse mortuis, sicut viuis, positâ formâ sufficiente illarum; & ad hoc vt Indulgentiæ habeant effectum, nil requirit, nisi causam sufficientem eas concedendi; hæcque à pluribus vocatur communis.

Alij melius docent habere effectum infallibilem posita certis cōditionibus

3 Probatur primò ex dictis, hoc *lib. disp 2. q. 2. d. 1. & 2.* vbi probatum est sacrificia, & suffragia prodesse certò, & infallibiliter animabus Purgatorij quibus applicantur; ex quo à potiori colligi potest, Indulgentias ijsdem applicatas infallibiliter effectum consequi, cùm maior sit ratio in Indulgentijs, quàm suffragijs: applicatio enim satisfactionis suffragiorum fit à priuatis offerentibus propriam satisfactionem in solutionem pœnæ ipsarum animarum: applicatio verò Indulgentiarum fit per Pontificem publicâ auctoritate ex communi thesauro Ecclesiæ, cuius dispensatio sic ei à Christo commissa est, vt etiam promiserit se acceptaturum in solutionem satisfactiones thesauri alijs applicatas. & hoc *Matt 16. Et tibi dabo claues Regni cælorum*; cùm enim illis verbis contineatur potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, contineri etiam debet promissio acceptandi hanc dispensationē, aliàs non diceretur Pontifex habere Claues Regni cœlorum, quia non esset in eius potestate illud aperire, & tollere impedimenta per dispensationem thesauri, sed solùm quando Deo placuerit eam dispensationem acceptare; cùm igitur potestas illa dicat aliquid certi, certa etiam erit, & infallibilis dispensatio thesauri per Indulgentias, tam in defunctis, quàm viuis, cùm in vtrisque per potestatē Clauium fiat hæc dispensatio; Clauis autem semper aperit, si non erret, id est si rationabilis sit illius vsus, aliàs esset inepta. Alij eandem promissionem probant ex his verbis sequentibus. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* vt sensus huic rei accommodatus sit: quodcumque per dispensationem thesauri ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum solueris super terram; erit & acceptabitur tanquam ex proprijs solutum in cœlis.

Datur promissio acceptandi indulgentias pro defunctis.

4 Probatur secundò, ex formâ quâ vtuntur Pontifices concedendo priuilegium

uilegium Missarum Priuilegiatarum cuidam Ecclesiæ, vel altari; sic enim habet Vrbanus VIII. in priuilegio pluribus nostris Conuentibus dato: vt *quandocumque sacerdos aliquis Minimorum Ecclesiæ Missam defunctorum pro animâ cuiuscumque fidelis; quæ Deo in charitate coniuncta ab hâc luce migrauerit ad (præfatum) altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij indulgentiam consequatur; ita vt eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, è Purgatorij pœnis liberetur concedimus, & indulgemus.* Loquitur igitur Pontifex non de re pendente ex acceptatione diuinâ; sed tanquam de re certâ, & infallibili; nec alijs terminis certioribus vtitur concedendo viuis Indulgentias, quas constat esse infallibiles. Deinde Leo X. epistolâ ad *Caietanum* eâdem certitudine loquitur de Indulgentijs viuorum, & defunctorum; dicit enim Romanam Ecclesiam tradidisse Romanum Pontificem Petri Clauigeri successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium *potestate clauium, quarum est aperire regnum cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate iungente sunt membra Christi, siue in hac vita sint, siue in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum, & tam pro viuis, quàm pro defunctis Apostolicâ auctoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse, ac propterea omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint; à tantâ pœnâ temporali, secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debitâ liberari, quanta concessa & acquisita Indulgentia æquiualet.* In quibus verbis notandum est Pontificem indifferenter loqui de viuis, & defunctis; & tanquam de re certâ loquens docere eos omnes liberari à tantâ pœnâ, quantam sonant Indulgentiæ: idque fieri Apostolica auctoritate: Omnis autem dispensatio quæ fit auctoritate Apostolicâ, licet ius ipsum diuinum aliquo modo attingat, vt est dispensatio in voto, valida est, si ex rationabili causa fiat: ex quo ex consequenti sequitur dispensationem thesauri viuis, & defunctis, quæ auctoritate Apostolicâ fit, si ex rationabili causa fiat, esse validam, certam, & infallibilem.

Probatur tertiò, ex definitione Concilij Constantiensis docentis contra Wicleff, erroneum esse negare valorem Indulgentiarum; ergò ex mente Ecclesiæ sic valent Indulgentiæ viuis, & defunctis, vt certò, & infallibiliter in illis effectum habeant, idque ratione prædictæ promissionis diuinæ. Respondet *Corduba suprà*, Indulgentias esse quidem certas in defunctis, sicut in viuis; non valere tamen infallibiliter quoad totum fructum 5

Reijcitur responsio Corduba. in defunctis, sicut in viuis; quia Deus promisit eas acceptare pro viuis quoad totum effectum, pro defunctis verò solùm secundùm quod visum fuerit decens suæ liberalitati. Sed contrà, saltem in eius sententia requiritur promissio diuina acceptandi Indulgentias pro defunctis quoad aliqualem effectum, sic vt certò aliquis fructus Indulgentiarum eis applicetur. Quæro igitur vnde collegerit promissionem hanc diuinam quoad aliquem effectum, & non quoad totum; si enim Deus promisit acceptationem Indulgentiarum pro viuis quoad totum effectum; item si promisit acceptationē pro defunctis, non potest colligi non promisisse etiam quoad totum effectum, cùm promissio illa in vtrisque colligatur ex prædictis verbis *Matt.* 16. in quibus nulla fit discretio viuorum, & defunctorum.

6 *Indulgentia tātum valēt quantum sonant in viuis. & defunctis.* Probatur quartò, Indulgentiæ ex mente Ecclesiæ & D D. tantum valent, quantum sonant, in defunctis æquè ac viuentibus; ergò quoad totum effectum illis certò, & infallibiliter applicantur; aliàs, non quantum sonarit, sed quantum liberalitati, & misericordiæ diuinæ visum fuerit, valerent. Nec placet responsio Cordubæ, Indulgentias in defunctis æquè ac viuis valere quantum sonant, quantum estde se, quia si adsint omnia requisita in defunctis ad recipiēdum fructum totalem, certò totum illarum fructum recipient; inter conditiones verò requirit quòd in vita id meruerint modis prædictis. Non placet inquam hæc responsio, quia nullo

Reijcitur explicatio Corduba. fundamento requirit plures conditiones in defunctis, quàm in viuis; si enim tantum valent, quantum sonant in viuis absque exigentiâ alicuius meriti specialis, supposito solùm statu gratiæ; cur idem status gratiæ non sufficeret etiam in defunctis, absque speciali aliquo merito quod præcessit in vitâ, cùm per eandem potestatem Clauium fiat dispensatio thesauri viuis, & defunctis, cum hâc solâ differentiâ, quòd viui cum exhibitione æquiualentis ex thesauro, etiam absoluantur à Pontifice; pro defunctis verò fit sola exhibitio æquiualentis, cum promissione tamen eam solutionem acceptandi, vt dictum est. Cùm igitur eodem modo per actum po-

7 *Non solùm Missa Priuilegiata, sed & omnes aliæ Indulgentiæ applicatæ defunctis habent eandem infallibilitatē.* testatis Clauium conferantur Indulgentiæ viuis, & defunctis, non est ratio exigendi maiorem dispositionem in defunctis, quàm viuis; & ideò maximè, quia Auctores primæ sententiæ qui in defunctis ad infallibilitatem Indulgentiarum requirunt meritum aliquod, puta deuotionem in vitâ præhabitam erga Claues Ecclesiæ, &c. fundantur principaliter in verbis *Augustini Enchirid. cap.* 109. malè intellectis, quæ longè alio sensu intelligi debere dictum est hoc *lib. disp.* 2.*q.* 1.*d.* 1. sicque corruit primarium eorum fundamentum, & nostra sententia longè manet probabilior.

8 Sententia autem hæc non solùm intelligenda est de Missis Priuilegiatis, seu-

seu Indulgentijs illis annexis, sed de omnibus alijs Indulgentijs quæ quomodolibet defunctis applicari possunt, vt sunt affixæ Medalijs, visitationibus Ecclesiarum, & c. ita vt sicut sacerdos dicendo Missam Priuilegiatam pro defuncto, illum infallibiliter liberat è Purgatorio: ita & sæcularis communicando cum Medaliâ si talis Indulgentia ei appensa sit. Aduerte tamen Indulgentias applicatas defunctis non esse ita infallibiles, quin requirantur ad id quædam conditiones; nam primò requiritur causa sufficiens ad tantam Indulgentiam concedendam, & lucrandam; defectu cuius non proderit neque viuis, neque defunctis quoad totum suum effectum. Secundò, vt per viuos fiat id quod requiritur ad applicãdam Indulgentiam defunctis; non requiritur tamen vt viui opus iniunctũ exequentes sint in gratiâ; vnde sæcularis in mortali cõmunicans cum Medaliâ pro defuncto, non impediet effectum Indulgentiæ, sicut nec sacerdos pro eodem in mortali celebrans. Alij contrariæ sententiæ requirunt vltra quòd applicationem Indulgentiæ meruerit in vitâ; sed hoc satis refutatum est. Nec ex nostrâ sentẽtia sequitur quod nobis obijciunt aduersarij, per illam scilicet impediri fideles ad frequentandas, & multiplicandas Indulgentias pro defunctis, & excitari ad omittendas preces pro illis, quia positâ semel applicatione Indulgentiæ plenariæ pro parente meo, scio ipsum infallibiliter liberandum è Purgatorio; hoc inquam non sequitur, tum ob conditiones iam datas, quæ sæpè rem dubiã relinquunt; tum etiam, quia licet sententiam hanc doceamus, res tamen non est ita certa, quin detur formido de opposito, cùm plures contrarium censeant; ad summum igitur sententiam probabilem asserimus, quæ sicut nil mutat in re ipsâ, ita non facit rem omninò certam, & indubitatam; sicque omnibus consulo vt non obstante hâc nostrâ sententiâ, deuotè frequentent, & multiplicent Indulgentias pro defunctis, & Missas Priuilegiatas, ne fortè sententia hæc, licet valdè probabilis, vera non sit, & in diuino iudicio aliter se res habeat, sicque animæ Purgatorij maximum inde detrimentum patiantur.

Conditiones requisitæ ad infallibilitatem Indulgentiarũ in defũctis. 8

Quoad rationes primæ sententiæ, satis solutæ manent ex omnibus suprà dictis. 9

Quæri hîc potest, an ad applicandas Indulgentias Missæ Priuilegiatæ, opus sit fructum etiam sacrificij illi applicare; vel sufficiat fructum sibi reseruando Missam celebrare ex intentione, & voluntate obtinendi illi Indulgentias? Respondeo, communiter vtrumque requiri, & hæc per modum vnius & eiusdem defuncto applicari, quia cùm Pontifex concedit Indulgentias ad liberandam animam è Purgatorio dicendo Missam in tali altari, vel Ecclesiâ, videtur consequenter exigere vt sacrificium eidem animæ

Communiter in Missis priuilegiatis nõ solùm indulgentia, sed & sacrificiũ applicari debet defũcto.

DVBIVM QVARTVM.

An cùm sacrificia, & suffragia non habent effectum in defuncto cui applicantur, puta quia sit in cœlo, vel in inferno, applicentur ex misericordia animabus indigentibus, & derelictis?

12 *Credibile est fructum applicatum ijs qui non indigent, applicari alijs indigētibus.*



Espondeo credibile esse, fructum sacrificiorum, & suffragiorum applicatum ijs in quibus non habet effectum, vel quia sint in cœlo, vel in inferno, ex diuinâ misericordiâ alijs indigentibus applicari pro quibus non fiunt suffragia. ita D. Thomas suprà quæst. 3. ad 2. eum sequuntur *Adrianus quodl. 8. a. 3. Corduba l. 1. q. 3. opin. 5. §. & de residuo Fraxinell. sect. 3. §. 11. n. 3. &c.* Probat D. Thomas ex Damascen. *sermone de dormientibus*, vbi ait: *Deus tanquam iustus commetietur impotenti possibilitatem, tanquam suscipiens verè defectum, commutationem negotiabitur.* & hanc negotiationem in hoc consistere docet D. Thomas, vt quod deest vni, alter suppleat. hoc enim licet non sit certum, est tamen rationi satis congruum maximè de fructu satisfactionis respondente suffragijs viuorum; tum ne satisfactiones illæ priuentur suo fructu, quo tamen tam multæ animæ in Purgatorio indigent; tum etiam quia animæ illæ derelictæ quæ à nullis specialiter iuuantur, merentur specialem aliquem fructum aliunde recipere: nullus autem commodiori, & faciliori modo applicari potest, quàm ille. Et hoc multùm vrget idem *Damascenus eodem sermone* his verbis, & optimè: *Quòd si quis pro peregrinis, ac pauperibus, quique aliorum subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas, piasque erogationes relinquere possunt: an quia isti opibus destituuntur, exterasq; regiones incolunt, nulloque loco, ac numero censentur, nec habent qui laboris socios sese illis adiungant, propterea salutem non assequentur? Iniquitas ergò in Deum cadet, siquidem habenti daturus est non autem habenti nihil tribuet? Apagesis istud, quisquis ex ipso es. Iustus est enim Deus, ac Dominus, immò vt verius loquar, Iustitia ipsa, & sapientia, & bonitas, & potentia vera, ac per se consistens. Quocircà pro suâ iustitiâ pauperi, ac rerum omnium inopiâ laboranti copias amplissimas rependet: pro suâ sapientiâ id aget, vt ea quæ ipsi desunt, permutatione suppleantur.*

13 Difficultas autem hîc oritur, quomodo satisfactiones illæ applicentur animabus

animabus indigentibus, & derelictis: an scilicet Deus ex misericordia solâ suâ voluntate id præstet, vel aliâ ratione id fiat. Puto igitur Deum solâ suâ voluntate applicationem illam non facere, quia in huiusmodi habet solùm rationem causæ vniuersalis, quæ proinde determinari debet ad effectum per causam particularem; ideoque meliùs dicendum est Deum ad satisfactiones illas applicandas alijs, determinari ad instar causæ vniuersalis; idque duplici capite, primò ab ipsis Beatis, quando scilicet suffragia fiunt pro animabus quæ sunt in cœlo; dici enim potest satisfactiones illas à viuis per applicationem esse donatas illis animabus quæ illas Deo annuente ex misericordiâ, animabus magis indigentibus & derelictis applicant; & hic modus videtur bonus; quia tamen nō comprehendit satisfactiones applicatas damnatis, qui eas non possunt alijs applicare; ideò secundò dici potest satisfactiones illas à suffragātibus sic applicari defunctis, vt casu quo ij quibus specialiter applicant non indigeant, voluntate quâdam interpretatiuâ, aut virtuali intendant eas applicare animabus in Purgatorio magis indigentibus, & derelictis; vnde patet *lib. 1. disp. 5. q. 3.* non incongruè assignatam fuisse distinctionem inter fructum applicatum sine effectu viuis, & defunctis, in hoc quòd applicatus viuis sine effectu, redeat ad operantem: applicatus verò defunctis, prosit alijs indigentibus, idque ob compassionem, & indigentiam animarum, virtute cuius censentur fideles habere prædictā intentionem interpretatiuam aut virtualem.

Qualiter id fiat.

DVBIVM QVINTVM.

An suffragia Ecclesiæ communia magis prosint animabus Purgatorij quæ magis meruerunt?

BOnauentura *in 4. d. 45. a. 2. q. 3.* docet suffragia quæ specialiter fiunt pro aliquo defuncto, ei magis prodesse pro quo fiunt; suffragia verò communia magis prodesse ei qui magis meruit vt sibi prodessent. idem repetit *in compendio Theologicæ veritatis lib. 7. cap. 5.* idem docet *Caietanus tom. 1 tract. 18. q. 5.* non solùm de communibus, sed etiam de specialibus suffragijs. Per meritum autem intelligit *Caietanus* vt suprà dictum est, deuotionem in vitâ præhabitam erga defunctos, curam satisfaciendi pro suis peccatis &c. puto tamen meritum illud non solùm attendi ex dictis conditionibus *Caietani*, sed etiam ex maiori chari- 14

Quidam docent suffragia communia magis prodesse defunctis qui magis meruere.

tate animarum, vt innuit *Magister eâdem dist.* 45. & earum maiori indigentia, vt docet *Bonauentura suprà*. ita vt illæ dicãtur magis meruisse quæ vel affectæ fuerunt erga defunctos dum viuerent, vel studuerunt satisfacere pro peccatis; vel maiori præditæ sunt charitate; vel magis aliorum adiutorio indigent.

15 Alij tamen communiter, & meliùs docent, quòd sicut suffragia specialia illi soli prosunt cui quoad satisfactionem applicantur: ita communia indifferenter prodesse omnibus, nec vni magis quàm alteri; ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio præhabita erga defunctos, aut indigentia, aliquid hâc in re conferat; sed totum meritum consistit in solâ capacitate recipiendi suffragia, quæ reperitur in omnibus animabus Purgatorij. Et hoc apertè docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 1.* vbi hac de re loquens, docet iuuamen suffragiorum non cadere directè, & simpliciter sub meritum, sed quasi sub conditione, posito scilicet quòd pro illis aliqua fiant suffragia, vel specialiter, vel in communi. Vnde conformiter ad hoc

Alij meliùs negant.

16 Dico primò, fructus sacrificij Missæ ex opere operato applicatus generaliter omnibus animabus Purgatorij, æqualiter participatur ab omnibus, nec vna recipit ampliùs, quàm alia; siue fructus ille oriatur ex intentione generali quâ omnia sacrificia prosunt omnibus; siue ex intentione mediâ, quâ pro illis omnibus offertur sacrificium. Et de fructu orto ex intentione generali dictum est *lib. 1 disp. 1. q. 1. d. 2.* De fructu verò orto ex intentione mediâ, probatur eâdem ratione, quia fructus omnis ex opere operato applicatur viuis, & defunctis certò, infallibiliter, & ex iustitiâ, non ponentibus obicem; ergò fructus sacrificij generaliter applicatus omnibus animabus, æqualiter participabitur ab omnibus, nec magis adueniet vni, quàm alteri. Confirmatur: sacrificiũ sortitur suum effectum ex applicatione offerentis, proindeque cum offerens intendat indifferenter applicare omnibus, nec maiorem fructum velit applicari vni, quàm alteri, indifferenter etiam & æqualiter omnibus proderit, ita vt neque maior charitas, neque maior deuotio erga defunctos præhabita, &c. aliquid hâc in re prosint.

Fructus sacrificij generaliter defunctis applicatus æqualiter prodest omnibus.

17 Idem dicendum est de fructu satisfactionis suffragiorum, applicato generaliter omnibus animabus Purgatorij, qui eodem modo æqualiter in omnes distribuitur, quia fructus ille prodest etiam certò, & infallibiliter ijs quibus applicatur; & id innuit *Adrianus quodl. 8. art. 3 litt. P.*

Idem est de suffr. gijs.

18 Dico secundò, fructus impetrationis ortus ex communibus suffragijs omnibus defunctis applicatis, non æqualiter prodest omnibus, sed ijs solis quibus

lis quibus Deus voluerit, & maximè ijs qui magis meruerunt modis prædictis. Et hoc modo satis probabiliter putandum est Deum compensare deuotionem in vitâ habitam erga animas Purgatorij, vt scilicet animæ illæ quæ taliter affectæ fuerunt, recipiant ex communibus suffragijs varios fructus per modum impetrationis, modis suprà explicatis; deinde vlterius compensat Deus hanc deuotionem, per hoc quòd sicut sollicitæ fuerunt in suffragando pro animabus in Purgatorio: ita Deus inspirat alijs vt eandem sollicitudinem pro illarum alleuiatione habeant, & citiùs liberentur; id enim rationi consentaneum est vt animæ illæ quæ in vita suâ deuotione curarunt iuuare animas Purgatorij, dum in ijsdem pœnis fuerint, per aliorum etiam curam, & deuotionem adiuuentur & idipsum plures indicant Historiæ. Denique probabile etiam est eas animas recipere fructum aliquem ex satisfactionibus quæ in alijs animabus effectum non habuerunt, quas, sicut suprà dictum est nos piè opinari posse, eas applicari alijs animabus indigentibus: ita etiam dici potest applicari in compensationem ijs animabus quæ in vitâ deuotæ fuerunt erga defunctos; de quo tamen nil est certi. *Fructus impetrationis magis prodest ijs qui magis meruerunt.*

DISPVTATIO III.

De fructu Missarum priuilegiatarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propriè, Missas priuilegiatas prodesse defunctis per modum suffragij?



NOta primò per Missas priuilegiatas vltra fructum respondētem sacrificio, applicari defunctis tantum Indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ quantum requiritur ad liberationē illorum quibus applicantur, ita vt Missæ dictis Indulgentijs coniunctæ dicantur habere priuilegium liberandi animas è Purgatorio; & eatenus dicuntur priuilegiatæ. An autem certò & infallibiliter id fiat, controuertitur. ad quod prærequiritur hæc quæstio. vnde 1

Indulgentia prosunt viuis per modum absolutionis.

2 Nota secundò Indulgentias viuis prodesse per modum absolutionis, & iudiciariæ potestatis; ita vt quando Prælatus Ecclesiæ concedit Indulgentias, vtitur potestate sibi à Christo datâ, & tanquam iudex auctoritatiuè relaxat pœnas debitas, & ab eis absoluit, & liberat, absque aliquâ solutione ex parte debitoris: sicut enim reum punire est actus iurisdictionis in iudice, ita & eum liberum & absolutum dimittere. vnde Christus dixit Petro, *Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* per Claues autem intelligunt communiter D D. potestatem soluendi omne vinculum impediens ingressum Regni cœlorum. Tale autem est pœna temporalis debita, quæ ingressum cœli impedit, ergò Petro data est potestas eam tollendi, & ab eâ fideles liberandi absque eorum solutione, quod fit per veram absolutionem, & relaxationem à pœnâ, & patet ex his terminis quibus cōmuniter conceduntur Indulgentiæ. *Misericorditer indulgemus* Deinde si Indulgentiæ viuorū non fierent per modum absolutionis, non requireretur iurisdictio in illos quibus applicantur; cùm igitur nullus Prælatus possit nisi fidelibus subditis concedere Indulgētias, patet concessionem esse verum actum iurisdictionis, & iudiciariæ potestatis, quâ subditus à pœnâ debitâ absoluitur.

Fit etiam æquiualens solutio in Indulgentijs viuorum.

3 Aduerte tamen quòd licet Indulgentiæ viuis concedantur per modum absolutionis, non desinit tamen fieri per Prælatum Ecclesiæ vera, & æquiualens solutio, idque ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ, ab eisdem Prælatis per dictas Indulgētias dispensantur; vnde non interuenit solùm hic ratio iustitiæ vindicatiuæ, cuius est punire, & absoluere; sed etiam iustitiæ commutatiuæ, quæ in solutione æquiualētis consistit, & hoc oritur ex voluntate, & ordinatione Dei, qui licet maximā in omnibus nobis exhibeat misericordiam, semper tamen aliquid iustitiæ admiscet. hinc licet in Sacramentis, & sacrificio, nobis peccata, & eorum pœnæ remittantur, nunquam tamen nisi interuentu meritorum, & satisfactionum Christi; quod maximè apparet in sacramento pœnitentiæ, in quo sacerdos verè iudicialiter absoluit pœnitentem à peccatis, sic tamen vt pro illis satisfiat iustitiæ diuinæ ex meritis, & satisfactionibus Christi, & ipsius pœnitentis: ita licet Prælati Ecclesiæ conferant viuis Indulgentias per modum absolutionis iudiciariæ; non desinit tamen fieri debita solutio æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quem in hunc finem dispensant, & distribuunt ipsis fidelibus, vt sic satisfiat iustitiæ diuinæ, quæ nil impunitum, & insolutum relinquit, sed in omnibus debitam solutionem exigit.

Posito

Posito igitur, quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, vnà cum debitâ solutione ex satisfactionibus Christi, & Sãctorum: quæritur quomodo Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ illis annexæ defunctis applicentur. pro quo

Dico primò, Missæ priuilegiatæ, seu Indulgentiæ ijs annexæ non applicantur defunctis per modum absolutionis, sed tantùm per modum suffragij. est communis. 4 *Missæ Priuilegiatæ non prosunt defunctis per modum absolutionis.*

Probatur prima pars; quia absolutio exigit iurisdictionem in eum qui absoluitur, quam non habet Pontifex in defunctos, qui sicut per mortem positi sunt extra statum viæ; ita etiam extra forum Ecclesiæ militantis; ideoque non subsunt, saltem directè, iurisdictioni eius. & confirmatur ex eo quòd Christus *Matt.* 16. dedit potestatem Petro ligandi, & soluendi super terram; quod iuxta communem explicationem denotat potestatem datã in homines viatores super terram degentes; non autem in defunctos.

Probatur secunda pars, cùm enim non prosint per modum absolutionis, necesse est applicari per modum suffragij; id est eo modo quo suffragia viuorum illis applicantur: sicut enim cùm quis defunctis applicat suffragia, vt orationes, ieiunia, &c. intendit ex satisfactionibus suis suffragijs respondentibus soluere pretium æquiualens pœnis ab ipsis soluendis in Purgatorio, & eatenus suffragia dicuntur prodesse defunctis: ita Pontifex licet non possit absoluere animas à pœnâ; per Missas tamen priuilegiatas, vltra fructum respondentem sacrificio ex opere operato, exhibet Deo ex thesauro Ecclesię satisfactiones Christi, & Sanctorum, tanquã pretium & solutionẽ æquiualentem pœnæ remittendę, quam Deus acceptat; & eatenus dicuntur Missæ priuilegiatæ illis prodesse, per modũ suffragij. 5 *Sed per modum suffragij.*

Dico secundò, in Missis priuilegiatis, quæ applicantur defunctis per modum suffragij, interuenit actus potestatis Clauium. Patet, quia Pontifex soluit pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ; non habet autem potestatem dispensandi thesaurum, nisi virtute promissionis factæ Petro *Matt.* 16. quâ illi & eius successoribus datur potestas aperiendi cœlum; tollendo impedimenta quæ ingressum retardant, quod fit cùm eâdem auctoritate applicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum ex thesauro Ecclesiæ defunctis in solutionem, & tolluntur pœnæ debitæ quæ ingressum cœlorum retardabant. vnde colligitur Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, in hoc conuenire, quòd sint simpliciter indulgentiæ, & actus potestatis Clauium, per quẽ ad remittẽdas pœnas distribuitur thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum; proindeque in vtrisque fit solutio 6 *In Missis priuilegiatis respectu defunctorum interuenit actus potestatis Clauium.*

æquiualentis, & repetitur iustitia commutatiua. Differunt autem in hoc quòd Indulgentiæ applicentur viuis per modum absolutionis, per actum iudiciariæ potestatis, quo Pontifex immediatè remittit pœnam tanquam minister Dei, & locum eius tenens, soluendo vlteriùs pretium æquiualens ex thesauro Ecclesiæ. In Indulgentijs verò quæ applicantur defunctis per modum suffragij, Pontifex non remittit auctoritatiuè pœnam, cùm in illos non habeat iurisdictionem, sicut in viuos, sed exhibet Deo pretium æquiualens ex thesauro, & Deus ipsos absoluit à pœnâ; vnde Indulgentiæ viuorum includunt actu iustitiæ vindicatiuæ, & commutatiuæ, defunctorum verò, solùm commutatiuæ. Si quis autem quærat cur Pontifices in suis bullis tam accuratè explicent, se concedere defunctis Indulgentias per modũ suffragij, cùm differentia assignata nil mutet in effectu, sed eundem effectum pariant Indulgentiæ viuorum, & defunctorum? Respondetur id facere vt ostendant se non abuti potestate sibi traditâ, nec velle iuuare defunctos tanquam sibi subditos, sed tanquam sibi charitate coniunctos, & indigentes, quibus subuenire possunt per dispensationem thesauri Ecclesiæ, eorum commissioni relictam.

Reijcitur differentia quorũdam inter Indulgentias viuorum & mortuorum.

7 Aduerte quosdam assignare aliam differentiam inter Indulgentias applicatas viuis, & defunctis, quòd in viuis habeant effectum infallibilem, cùm concedantur per veram absolutionem, & actum iudiciariæ potestatis: in defunctis verò, quæ solùm per modum suffragij applicantur, effectus omninò non sit infallibilis, sed pendens ex liberali acceptatione Dei, qui exhibitum pretium æquiualens ex thesauro acceptat, & absoluit defunctos à pœnâ pro libitu. Sed hæc differentia non placet, & puto Indulgentias æquè infallibiliter habere effectum in defunctis ac viuis, positis quibusdam conditionibus, proindeque Missas priuilegiatas certò liberare animas è Purgatorio, quod quæstione sequenti dicetur; vnde sit

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An Missa Priuilegiata certò, & infallibiliter liberet animam è Purgatorio?



Aietanus lib. 1. tract. 18. q. 5. docet non solùm suffragia, sed & Indulgentias non applicari certò, & infallibiliter defunctis, sed ex mera Dei liberalitate, qui pro ijs quibus voluerit acceptat; ad quod requirit quasdam cōditiones in ipsis animabus, v. g. quòd fuerint in vita affectæ erga Claues Ecclesiæ, &c. Eum sequitur *Corduba lib. de Indulgentijs q. 15. Henriquez lib. 7. cap. 7.* Probari potest hæc sententia primò, ex eo quòd Indulgentiæ prosunt solùm defunctis per modum suffragij, quod dicit solam solutionem æquiualentis ex thesauro Ecclesiæ, quam Deus ex merâ liberalitate acceptat, cùm voluerit, vt constat ex similitudine *Caietani*: sicut enim si Princeps aliquis ex ærario publico vellet liberare ciues suos ære alieno oppressos, quorũ aliqui in terris sui Dominij, alii in alieno Dominio seruituti addicti sunt: in hoc casu Princeps hic propriâ auctoritate, ex ærario publico pretiũ æquiualens pro singulis illorum solueret; cum hâc tamen differentiâ, quòd vlteriùs eos qui in terris sui Dominii essent, iudicialiter absolueret à debito, alios verò sub alterius Dominio detentos, absoluere non posset, sed exhibitâ pecuniâ alterius Principis gratiam, & absolutionem deberet exspectare: sic Pontifex viuis, & defunctis Ecclesiæ thesaurum per Indulgentias dispensat, & debitam solutionem exhibet; & vlteriùs viuos iudicialiter absoluit; quoad defunctos verò, pretium exhibendo, gratuitam Dei acceptationem exspectat, cuius est eos pro libitu absoluere, & pretium exhibitum acceptare, sicque Indulgentiæ defunctorum non sunt infallibiles. 1

Quid notent Missæ Priuileg. ac non habere effectū infallibilē.

Secundò, nulla suffragia applicata defunctis habent certitudinem, & infallibilitatem, cùm nulla sit lex aut promissio diuina illa acceptandi; cùm igitur Indulgentiç prosint defunctis per modum suffragij, nec sit etiam de illis lex aut promissio aliqua; non proderunt etiam infallibiliter.

Tertiò, ex *Augustino* sæpiùs suprà relato, *Enchirid. cap. 109.* & alijs locis, vbi dicit suffragia, proindeque & Indulgentias ijs defunctis prodesse, qui in vitâ meruerunt vt hæc sibi prodesse possent post mortem. quod meritum ponit *Caietanus* in deuotione erga Claues Ecclesiç, &c. ita vt solis illis

defunctis Indulgentiæ efficaciter prosint; & super hac auctoritate *Augustini* maximè suam sententiam fundant *Caietanus*, *Corduba*, & alij.

Alij melius docent habere effectum infallibilem posit is certis cōditionibus

2 Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, & sequenda, Indulgentias scilicet, proindeque Missas Priuilegiatas æquè certò, ac infallibiliter prodesse animabus Purgatorij, ac ipsis viuentibus; ita vt positis certis conditionibus per prædictas Missas infallibiliter animæ liberētur è Purgatorio. ita expreſsè *Nauarrus de Indulgentijs notab. 22. Sotus in 4. d. 21. q. 2. a. 3. Valent. disp. 7. q. 20. p. 5. Suarez disp. 53. sect. 3. Nugnus q. 26. a. 1. diff. 3 Coninck disp. 12. d. 11. Filliucius tract. 8. cap. 8. quæst. 6. concl. 2. Mercerus q. 26. dist. 2. &c.* Eandem sentētiam docet *D. Thomas in 4. d. 45. q. 2 art. 3. quæst. 2.* cùm dicit Indulgentias ita prodesse mortuis, sicut viuis, positâ formâ sufficiente illarum; & ad hoc vt Indulgentiæ habeant effectum, nil requirit, nisi causam sufficientem eas concedendi; hæcque à pluribus vocatur communis.

3 Probatur primò ex dictis, hoc *lib. disp. 2. q. 2. d. 1. & 2.* vbi probatum est sacrificia, & suffragia prodesse certò, & infallibiliter animabus Purgatorij quibus applicantur; ex quo à potiori colligi potest, Indulgentias ijsdem applicatas infallibiliter effectum consequi, cùm maior sit ratio in Indulgentijs, quàm suffragijs: applicatio enim satisfactionis suffragiorum fit à priuatis offerentibus propriam satisfactionem in solutionem pœnæ ipsarum animarum: applicatio verò Indulgentiarum fit per Pontificem publicâ auctoritate ex communi thesauro Ecclesiæ, cuius dispensatio sic ei à Christo commissa est, vt etiam promiserit se acceptaturum in solutionem satisfactiones thesauri alijs applicatas. & hoc *Matt 16. Et tibi dabo claues Regni cælorum*; cùm enim illis verbis contineatur potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, contineri etiam debet promissio acceptandi hanc dispensationē, aliàs non diceretur Pontifex habere Claues Regni cœlorum, quia non esset in eius potestate illud aperire, & tollere impedimenta per dispensationem thesauri, sed solùm quando Deo placuerit eam dispensationem acceptare; cùm igitur potestas illa dicat aliquid certi, certa etiam erit, & infallibilis dispensatio thesauri per Indulgentias, tam in defunctis, quàm viuis, cùm in vtrisque per potestatē Clauium fiat hæc dispensatio; Clauis autem semper aperit, si non erret, id est si rationabilis sit illius vsus, aliàs esset inepta. Alij eandem promissionem probant ex his verbis sequentibus. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* vt sensus huic rei accommodatus sit: quodcumque per dispensationem thesauri ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum solueris super terram; erit & acceptabitur tanquam ex proprijs solutum in cœlis.

Datur promissio acceptandi indulgentias pro defunctis.

4 Probatur secundò, ex formâ quâ vtuntur Pontifices concedendo priuilegium

uilegium Missarum Priuilegiatarum cuidam Ecclesiæ, vel altari; sic enim habet Vrbanus VIII. in priuilegio pluribus nostris Conuentibus dato: vt *quandocumque sacerdos aliquis Minimorum Ecclesiæ Missam defunctorum pro animâ cuiuscumque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hâc luce migrauerit ad (præfatum) altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij indulgentiam consequatur; ita vt eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, e Purgatorij pœnis liberetur concedimus, & indulgemus.* Loquitur igitur Pontifex non de re pendente ex acceptatione diuinâ; sed tanquam de re certâ, & infallibili; nec alijs terminis certioribus vtitur concedendo viuis Indulgentias, quas constat esse infallibiles. Deinde Leo X. epistolâ ad *Caietanum* eâdem certitudine loquitur de Indulgentijs viuorum, & defunctorum; dicit enim Romanam Ecclesiam tradidisse Romanum Pontificem Petri Clauigeri successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium *potestate clauium, quarum est aperire regnum cœlorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate iungente sunt membra Christi, siue in hac vita sint, siue in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum, & tam pro viuis, quàm pro defunctis Apostolicâ auctoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse, ac propterea omnes tam viuos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint; à tantâ pœnâ temporali, secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debitâ liberari, quanta concessa & acquisita Indulgentia æquiualet.* In quibus verbis notandum est Pontificem indifferenter loqui de viuis, & defunctis; & tanquam de re certâ loquens docere eos omnes liberari à tantâ pœnâ, quantam sonant Indulgentiæ: idque fieri Apostolicâ auctoritate: Omnis autem dispensatio quæ fit auctoritate Apostolicâ, licet ius ipsum diuinum aliquo modo attingat, vt est dispensatio in voto, valida est, si ex rationabili causa fiat: ex quo ex consequenti sequitur dispensationem thesauri viuis, & defunctis, quæ auctoritate Apostolicâ fit, si ex rationabili causa fiat, esse validam, certam, & infallibilem.

5 Probatur tertiò, ex definitione Concilij Constantiensis docentis contra Wicleff, erroneum esse negare valorem Indulgentiarum; ergò ex mente Ecclesiæ sic valent Indulgentiæ viuis, & defunctis, vt certò, & infallibiliter in illis effectum habeant, idque ratione prædictæ promissionis diuinæ. Respondet *Corduba suprà*, Indulgentias esse quidem certas in defunctis, sicut in viuis; non valere tamen infallibiliter quoad totum fructum

seu Indulgentijs illis annexis, sed de omnibus alijs Indulgentijs quæ quomodolibet defunctis applicari possunt; vt sunt affixæ Medalijs, visitationibus Ecclesiarum, &c. ita vt sicut sacerdos dicendo Missam Priuilegiatam pro defuncto, illum infallibiliter liberat è Purgatorio: ita & sæcularis communicando cum Medaliâ si talis Indulgentia ei appensa sit. Aduerte tamen Indulgentias applicatas defunctis non esse ita infallibiles, quin requirantur ad id quædam conditiones; nam primò requiritur causa sufficiens ad tantam Indulgentiam concedendam, & lucrandam; defectu cuius non proderit neque viuis, neque defunctis quoad totum suum effectum. Secundò, vt per viuos fiat id quod requiritur ad applicãdam Indulgentiam defunctis; non requiritur tamen vt viui opus iniunctũ exequentes sint in gratiâ; vnde sæcularis in mortali cõmunicans cum Medaliâ pro defuncto, non impediet effectum Indulgentiæ, sicut nec sacerdos pro eodem in mortali celebrans. Alij contrariç sententiæ requirunt vltra quòd applicationem Indulgentiæ meruerit in vitâ; sed hoc satis refutatum est. Nec ex nostrâ sentẽtia sequitur quod nobis obijciunt aduersarij, per illam scilicet impediri fideles ad frequentandas, & multiplicandas Indulgentias pro defunctis, & excitari ad omittendas preces pro illis, quia positâ semel applicatione Indulgentiæ plenariæ pro parente meo, scio ipsum infallibiliter liberandum è Purgatorio; hoc inquam non sequitur, tum ob conditiones iam datas, quæ sæpè rem dubiã relinquunt; tum etiam, quia licet sententiam hanc doceamus, res tamen non est ita certa, quin detur formido de opposito, cùm plures contrarium censeant; ad summum igitur sententiam probabilem asserimus, quæ sicut nil mutat in re ipsâ, ita non facit rem omninò certam, & indubitatam; sicque omnibus consulo vt non obstante hâc nostrâ sententiâ, deuotè frequentent, & multiplicent Indulgentias pro defunctis, & Missas Priuilegiatas, ne fortè sententia hæc, licet valdè probabilis, vera non sit, & in diuino iudicio aliter se res habeat, sicque animæ Purgatorij maximum inde detrimentum patiantur. 8

Conditiones requisita ad infallibilitatem Indulgentiarũ in defũctis.

Quoad rationes primæ sententiæ, satis solutæ manent ex omnibus suprà dictis. 9

Quæri hîc potest, an ad applicandas Indulgentias Missæ Priuilegiatæ, opus sit fructum etiam sacrificij illi applicare; vel sufficiat fructum sibi reseruando Missam celebrare ex intentione, & voluntate obtinendi illi Indulgentias? Respondeo, communiter vtrumque requiri, & hæc per modum vnius & eiusdem defuncto applicari, quia cùm Pontifex concedit Indulgentias ad liberandam animam è Purgatorio dicendo Missam in tali altari, vel Ecclesiâ, videtur consequenter exigere vt sacrificium eidem animæ

Cõmuniter in Missis priuilegiatis nõ solùm indulgentia, sed & sacrificiũ applicari debet defũcto.

mæ applicetur. in rigore tamen non videtur semper necessarium, nisi verba priuilegij id sonent, sicut videre est in formâ priuilegij suprà citati, vbi dicitur: *quandocumque sacerdos Missam defunctorum pro animâ cuiuscumque fidelis, ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequetur.* Secundùm hoc indultum igitur ex mente Pontificis requiritur vt non solùm indulgentia, sed & sacrificium applicetur defuncto: si tamen in indulgentia solùm diceretur: *Quoties sacerdos Missam in tali altari celebrauerit, liberabit animam è Purgatorio.* tunc satis esset Missam celebrare, absque eo quòd fructus illius isti animæ applicetur, sed sola Indulgentia, & idem à simili dicendum est, cùm pro Indulgentia lucranda præcipitur ieiunium, visitatio templi, peregrinatio, & maximè eleēmosyna; quæ in bonum tertij imponitur. Ratio autem cur non videatur semper requiri vt fructus operis iniuncti vnà cum Indulgentia applicetur ipsis animabus, est, quia cùm in Indulgētijs requiritur opus aliquod, non necessariò exigitur vt satisfactorium, sed vt pium vel conducens ad cultum Dei, &c. quæ completi possunt absque eo quòd fructus operis iniuncti applicetur isti defuncto, pro quo quis lucratur Indulgentias. Hæc omnia ferè docent *Suarez disput.* 53. *sect.* 3. *Nugnus supplem. q.* 25. *artic.* 1. *diff.* 3. *Fill. tract.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 9.

Quandoque tamen vbi nō præcipitur nō videtur ita necessè.

10 Quæritur secundò, an obligatus ad dicendam Missam pro defuncto in altari, vel Ecclesia priuilegiata, satisfaciat obligationi, dicendo alibi cum intentione eam animam liberandi è Purgatorio per Indulgentias appensas medaliæ, quas ei applicat? Respondeo, si rogans eam Missam voluerit in altari, vel Ecclesia speciali eam dici, ad maiorem Ecclesiæ frequentiam, & populi commodum, &c. certum est teneri sacerdotem in Ecclesia & altari specificato celebrare; aliàs putãdum est eum satisfacere obligationi. Ratio est, quia Pontifex æqualem Indulgentiam plenariam concessit celebrantibus cum medalia benedicta, ac in altari, vel Ecclesia priuilegiata, & indulgentiæ sunt æqualis virtutis in vtroque, proindeque nullam iniuriam facit defuncto. Et ita sentit *Fraxinell. de sacerd. obl. sect.* 4. §. 9. *n.* 1. qui citat *Alphon. de Leo.* Addiderim tamen hâc in re posse quandoque esse periculum non satisfaciendi obligationi, quia Missa certò Priuilegiata exigitur, qualis est dicta in altari Priuilegiato, quod tale est per expressas bullas Pontificias. Medaliæ verò non semper sunt ita certæ, & quandoque circumferuntur quæ dictas Indulgentias appensas non habent; vbi igitur est moralis aliqua certitudo dictæ Indulgentiæ, licitè fieri potest, & praxis communiter est talis. Aduerte tamen sacerdotem non satisfacere qui obligatus ad Missam Priuilegiatam, applicat solùm ipsi defuncto Indulgentiam plenariam aliundè acquisitam, vt per visitationem Ecclesiæ, &c. quia licet vtraque

Obligatus ad Missam Priuilegiatā satisfacit eam dicendo cū Medaliâ.

11 *Nō satisfacit si applicet solam indulgentiam plenariam.*

vtraq; Indulgẽtia sit ęquè certa, & in nostrâ sentẽtiâ liberaturus sit animam è Purgatorio, contraxit tamen vlteriùs obligationem ex iustitia applicandi eidem animæ Missæ sacrificium, cui sub mortali satisfacere tenetur.

DISPVTATIO IV.

De varijs alijs modis, quibus defuncti per sacrificia, & suffragia iuuantur.

QVÆSTIO PRIMA.

An melius sit procurare dici Missas pro se ipso adhuc viuente, quàm mortuo?



Espondeo, præstare vt fideles curent celebrari pro se Missas ante mortem, quàm post. Ratio est primò, quia Missa applicata viuis non solùm est satisfactoria, sed & propitiatoria pro peccatis, conferendo varias gratias præuenientes; & impetratoria variorum beneficiorum; sicque prodest non solùm in vita, sed & post mortem; applicata verò defunctis, solùm ferè est satisfactoria, cùm defuncti aliorum fructuum non sint capaces. Hinc *Gregor. lib. 4. dialog. cap. 58. Tutior est via, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit per se, beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere.* Secundò qui in vita procurat dici pro se Missas, non solùm recipit fructum illi à sacerdote applicatum, sed alius etiam respondet ex opere operato respondens propriæ cooperationi ad sacrificium, isque maior vel minor secundùm maiorem vel minorem cooperationem, vt suo loco dictum est. Tertiò, qui dici iubet Missas in vita, habet maiorem certitudinem quod actu dicantur, & recipiat fructum; illæ verò quæ testamento post mortem relinquuntur, sæpiùs ob incuriam parentum, aut etiam ipsorum sacerdotum insolutæ manent; certum est autem fructum sacrificij ex opere operato, nulli vnquã applicari, nisi sacrificio actu peracto; sicque licet defunctus testamento Missas dicendas reliquerit, nihil tamen ei prosunt, sed per satispassionẽ totum debitum soluere debet. Vnde patet parentes, & 1

Melius est curare dici Missas ante mortem quã post.

sępiùs sacerdotes plurimùm nocere animabus Purgatorij, Missæ sacrificia diu nimis retardando, dum interim anima in vanum refrigeriu n expectans grauissimè patitur, & fortè tunc solùm fiunt sacrificia cùm debitam pœnam exoluit. Non sunt tamen ideò reprobandæ Missæ dicendæ post mortem, cùm quisque vsque ad extremum vitæ contrahat nouas obligationes ad pœnas Purgatorij, quas bonum est per sacrificia post mortem tollere.

2 *Reijcitur opinio Nauarri.* Aduerte tamen non placere quod docet *Nauarrus de celebr. Missar. lib. 3. consil. 6.* posse pro viuo celebrari Missas & officium defunctorum, modò illi non applicetur oratio in quâ fit mentio de defuncto, quia, inquit, id esset mentiri. Verum quidem est fructum respondentem Missæ de Requiem, & officio defunctorum, posse in rigore applicari viuis, æquè ac defunctis, cùm sit fructus satisfactionis ex opere operato, & operantis, cuius viui, ac defuncti sunt capaces; id tamen est contra ordinationem Ecclesiæ, quæ diuersas Missas, & officia, pro viuis, & defunctis instituit; proindeque Missæ viuorum debent esse de Sanctis, pro remissione peccatorum, &c.

3 *Licet communiter dicendæ sint Missæ de requiem pro defunctis bonũ est tamen ldicere de Sanctis.* Aduerte secundò, pro defunctis communiter dicendas esse Missas de Requiem, tum quia specialiter ad id ordinatæ sunt ab Ecclesiâ, tum etiam quia in illis preces speciales pro defunctis fundũtur; & eâ ratione *Sotus dist. 45. q. 2. a. 3.* vocat eas Missas magis meritorias, & satisfactorias pro defunctis; aliundè tamen fieri potest compensatio, per hoc scilicet, quòd Missæ de Sanctis communiter fiunt maiori cum deuotione, Missæ verò de Requiem ex quâdam consuetudine non ita excitant; deinde putandum est defunctos plurimùm iuuari precibus Sanctorum, in quorum honorem Missæ dicuntur; & hâc in re consulendum esset quod docet *Fraxinell. sect. 4. §. 4. nu. 20.* vt pro defunctis dicantur Missæ in honorem eorum Sanctorum, quos in vitâ in suos Patronos elegerant, & quibus magis erant addicti, quia in compensationem deuotionis illius præhabitæ, maiori ex animo Sancti illi suis precibus liberationem illarum animarum procurabunt.

4 *Sacerdos celebrans pro defuncto maiorem fructum retinet sibi, quàm pro viuo.* Ex dictis collige sacerdotem celebrantem pro defuncto recipere ex sacrificio maiorem fructum, quàm cùm pro viuo celebrat, quia celebrans pro viuo, fructum gratiarum præuenientium, satisfactionis, & impetrationis illi applicat: celebrans verò pro defuncto, solum fructum satisfactionis illi applicat, proindeque omnis alius fructus sacrificij remanet ipsius sacerdotis, quem potest non solùm sibi, sed & alteri vlteriori intentione applicare.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

An defunctus qui testamento ordinauit restitutionem aliquam, & hæredes sunt negligentes, diutiùs exinde detineatur in Purgatorio?

1 ID arbitratur vulgus imperitum, talem scilicet animam tamdiu manere in Purgatorio vsquedum facta fuerit actualis restitutio, eo modo quo quis ob debita in carcere detentus, non liberatur nisi post actualem solutionem; & fundari videntur in quibusdam apparitionibus animarum Purgatorij, quæ rogarunt fieri restitutionem suorum debitorum, vt sic valeant à pœnis liberari. *Opinio vulgi reijcitur.*

2 Contrarium tamen est verius, animam scilicet nunquam diutiùs remanere in Purgatorio ob negligentiã hæredum in faciendã restitutione quam in vitâ testamẽto ordinauit. Ita *Sotus suprà, Suarez disp. 48. sect. 8. n. 10. Nugnus suppl. q. 24. a. 3. diff. 5.* Anima igitur illa si nõ fecit quod debuit in mandandâ restitutione hæredibus, & inde peccauit mortaliter, nec pœnituit, damnabitur, siue hæredes restituant, siue non; si verò in vitâ restituere non potuit iustis de causis, & bonâ fide testamento mandauit hæredibus fieri restitutionem, quam facturos arbitrabatur; non diutiùs in Purgatorio detinebitur, licet hæredes restitutionem differant, aut etiam facere recusent sed completâ debita satisfactione rectà in cœlum euolabit. Ratio est, quia cùm sufficienrem diligentiam adhibuerit vt fieret post mortem restitutio, non est ea in re culpabilis; negligentia autem, & culpa hæredum in restitutione facienda illi nocere non potest, cùm nemo puniatur nisi ob propria peccata, præcipuè cùm non sit in illius potestate negligentiam hanc restitutionis impedire. *Anima non manet diutiùs in Purgatorio, ob dilationem restitutionis à parẽtibus factam.*

3 Deinde Restitutio, & Satisfactio multùm hac in re differunt: Restitutio enim est actus iustitiæ inter homines, quo quisque rem alterius reddit domino: Satisfactio verò, est reparatio iniuriæ Deo illatæ, per tolerantiam alicuius pœnæ; vnde sunt diuersæ rationis; ob solum autem debitum Satisfactionis, seu pœnæ retinetur anima in Purgatorio, quia aliàs puniretur ibidem absque eo quòd esset debitrix pœnæ; proindeque non est quòd ob negligentiam parentum in restituendo, diutiùs *Quomodo differant restitutio, & satisfactio.*

tiùs crucietur. Denique si restitutio commissa nunquam fieret à parentibus nunquam talis à pœnis liberaretur, nisi in fine mundi. quod absurdum est. vnde meliùs dicendum isti animæ non obstante dilatione restitutionis, efficaciter prodesse omnia sacrificia, & suffragia illi applicata, & statim ac totum debitum pœnæ exsoluerit, rectà euolare ad cœlum. Quoad apparitiones verò; vel non sunt admittendæ, vel ad summum dici potest eas fieri, vt sic excitentur parentes ad applicanda animabus suffragia pro celeriori liberatione, vt docet *Suarez suprà.* Si verò vlteriùs quæratur an restitutio illa facta per parentes sit isti animæ satisfactoria, tanquam executio operis quod in vitâ fieri mandauit, respondetur quosdam id affirmare; rectiùs tamen alij negant, vt *Suarez suprà.* sicut enim suo loco dictum est executionem eleëmosynæ factæ per seruum domino mandante non prodesse domino ad nouam satisfactionem distinctam ab eâ quæ respondet actui quo illam præcepit: ita consequenter hîc dicendum actualem restitutionem testamento mandatam, & factam à parentibus, non prodesse de nouo quoad satisfactionem isti defuncto; nisi fortè parentes fructum pij illius operis speciali intentioni illi applicent.

4 *Restitutio facta per parentes defuncti nō est illi de nouo satisfactoria.*

QVÆSTIO TERTIA.

Quem fructum recipiant animæ Purgatorij ex communione quam fideles illis applicant?

1 *Cōmunio facta pro defūctis nō prodest ex opere operato.*




Respondeo, si fideles communicando pro animâ Purgatorij intendant fructum aliquem suæ communionis ex opere operato illi applicare, eo modo quo per oblationem sacrificij ei applicatur fructus illius ex opere operato, falluntur, quia, vt rectè *D. Thomas 3. p. q. 79. art. 5. & 7.* & cum eo alij communiter, sacramentum hoc prodest sumenti in ratione sacramenti, & sacrificij; alijs verò solùm per modum sacrificij. Et ratio est, quia commune est sacramentis sic conferre effectus suos suscipientibus, vt non possint alijs applicare, cùm in bonum suscipientium à Christo ordinati sint. Sicut igitur effectus Baptismi & Pœnitentiæ non possunt alijs applicari: ita nec sacramenti Eucharistiæ, Deinde augmentum gratiæ habitualis, & alij effectus proprij huius sacramenti

sunt de genere eorum quæ non communicantur alijs, tota difficultas oriri posset de effectu remissionis pœnæ, probabiliùs autem est sacramentum Eucharistiæ non conferre ex opere operato remissionem pœnæ, nec ad hoc à Christo ordinatum esse; & licet remitteret pœnam, esset tamen beneficium personale ipsius sumentis, quod non posset alijs communicari.
Communio igitur facta pro animâ Purgatorij, solùm illi prodest ex opere 2
operantis, eo modo quo opera meritoria, & satisfactoria illis applicari possunt, est enim actus religionis cui satisfactio aliqua respondet, & hæc isti animæ tunc applicatur. Deinde potest eidem prodesse per modum impetrationis; habet enim hoc sacramentum magnam virtutem plura à Deo impetrandi, tum ob realem Christi præsentiam, & sumptionem, qui facilè exaudit eos quos sic visitat: tùm quia producit in animâ feruorem deuotionis quę magis accommodata est impetrationi. Ad hos igitur effectus solùm prodesse potest communio facta pro animâ Purgatorij, nisi quòd sępius mediante communione defunctis applicatur Indulgentiâ, quæ & communionem, & preces aliquas ad efficacem applicationem exigit, & hæc de fructu sacrificij Missæ, & suffragiorum satis, pro quo sit

Prodest tamen ex opere operantis.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.



INDEX RERVM

ET

VERBORVM.

A.

B.

C

D. Deus

D

eius

Quomodo

I.

M.

An

O.

V.

Summma Priuilegij.

PHILIPPVS IV. Dei gratiâ Rex Castellæ, Legionis, Arragoniæ, vtriusque Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Arthesiæ, &c. Diplomate suo sanxit ne quis citra voluntatem *Henrici Aertssens* Typographi Antuerpiensis librum cui titulus est *De fructu & applicatione sacrificij Missæ, & suffragiorum*, compositus à R. P. F. *Antonio Ruteau ordinis Minimorum*, proximo sexennio imprimat, alibíue impressum in hasce ditiones inuehat venalemue habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellę 13. Februarij 1634.

Signat

STEENHVYSE.



5-4